A. KISSELIUS,

SPECIMEN CRITICUM

CONTINENS

AULI PERSII FLACCI

CODICUM MSS. LEIDENSIUM COLLATIONEM

UNA CUM

ANIMADVERSIONIBUS IN EIUS SATIRAM PRIMAM.

SPECIMEN CRITICUM

CONTINENS

AULI PERSII ELACCI .

CODICUM MSS. LEIDENSIUM COLLATIONEM

CUM

ANIMADVERSIONIBUS IN SATIRAM PRIMAM.

SPECIMEN CRITICUM

CONTINENS

AULI PERSII FLACCI

CODICUM MSS. LEIDENSIUM COLLATIONEM

CUM

ANIMADVERSIONIBUS IN SATIRAM PRIMAM.

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

PETRI IOHANNIS ISAACI DE FREMERY,

MATH. ET PHILOS. NAT. DOCT. ET PROF.

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE
ET LITTERARUM HUMANIORUM DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN

PHILOSOPHIA THEORETICA ET LITTERIS HUMANIORIBUS
HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA

RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

ANTONIUS KISSELIUS,

DORDRACENUS.

A. D. XVII M. IULII, A. MDCCCXLVIII, HORA II.



Zalt-Boemeliae,

APUD IOH. NOMAN ET FILIUM, TYPOGR.

MDCCCXLVIII.

PARENTIBUS

OPTIMIS CARISSIMIS

SACRUM.

PRAEFATIO.

Ne quis fortasse vitio mihi vertat, quod, in materia eligenda, de qua dissertationem conscriberem, obscurissimum poetam Latinum mihi sumserim, neque memor fuerim toties decantati: s u m i t e m a t e r i a m, *cet., is sciat, velim, me non temere ad hunc poetam accessisse, sed, in clarissimi* KARSTENII *praelectionibus huic poetae quasi initiatum, eo demum suadente, Persium selegisse, in quo maiore cum cura vires periclitarer. Quid in eo praestiterim, alii iudicent, sed, spero, benevole et indulgenter. Ipse autem, meae tenuitatis optime conscius, satis perspicio, quibus mendis haec scri-*

ptiuncula laboret. Id tamen lubens profiteor, me nullum recusasse laborem, nullique pepercisse industriae, ut quid aptius exiret. Primum autem meum fuerat propositum omnes sex satiras tractare. Quum vero in primis diutius detinerer meaeque vitae rationes ferrent, ut tandem aliquando summos in litteris capesserem honores, quatuor priores edere constituebam. Interim, opere absoluto, feriae instabant et moles nimis creverat, quam ut paucis diebus typis imprimeretur. Ne igitur prorsus a consilio desisterem, alia ex animadversionibus resecare, alia in praesens omittere, atque ita ea, quae de prima satira, qualitercunque, disputaveram, sola, speciminis gratia, in lucem emittere, coactus fui.

Antequam vero praefandi finem faciam, mihi compellandi sunt Viri Clarissimi, quorum institutione uti mihi licuit. Sed, eheu! tres iam eorum desunt numero: HEUSDIUM *dico*, SCHROEDERUM *et* WENCKEBACHIUM. *Duo priores caris propinquis gratisque discipulis nimis quidem matura morte erepti sunt: sed vita peracta, quae quales quantosque academiae, litteris, humanitati tulerit fructus, alii*

agnoverunt semperque agnoscetur. WENCKEBACHII *autem iactura, nimis acerbo fato et quasi in primo aditu confossi, quale eius desiderium reliquerit ii testantur, qui praeclarum virum penitus noverunt et pii discipuli, apud quos nulla unquam dies optimi magistri memoriam delebit.*

Vos saltem superstites esse Viri Clarissimi, VAN GOUDOEVER *et* KARSTEN, *aestumatissimi Praeceptores! eximie laetor. Qualia quantaque vobis debeam, qui neque publica institutione, neque privata admonitione, studiis meis unquam defuistis, gratum et dulce est recordari. Vestra disciplina, vestra doctrina, vestra humanitas quantum mihi profuerint, utinam nunquam palam praedicare desinam! At, Vos! eadem benevolentia, eadem comitate, eadem amicitia, qua me in academia Rheno-Traiectina studiis humanioribus operam navantem excepistis, etiam in posterum prosequi pergatis enixe rogo! Vos vestrosque diu servet salvos sospites Deus O. M. opto, precor!*

Vos omnes, Viri Clarissimi et Doctissimi, quorum scholis, sive academicis, sive aliis, adfui, grati accipiatis animi testificationem!

—

Nec possum, quin etiam Tibi hoc loco debitas gratias solvam clar. GEEL, *bibliothecae academiae Lugduno-Batavae praefecto, Vir humanissime! Quid vero sedula tua humanitas, a nostratibus et exteris aeque praedicata, inque studiis promovendis nunquam non occupata, huic scriptiunculae profuerit, thesauris tuae curae commissis recludendis, gratus agnosco.*

Vos denique, iuvenes optimi, quorum consuetudine usus sum per spatium, quod in alma sede Traiectina transegi, vivite felices sitisque mei memores!

Scripsi Zalt-Boemeliae,
m. Iunio a. MDCCCXLVIII.

INTROITUS.



Post renatas litteras nullum fere fuit seculum, quin Persius suos non modo lectores, sed etiam editores et interpretes nactus sit. Nam inde a Bartholomeo Fontio et Ioanne Britannico usque ad nostra tempora plurimi fuerunt viri docti qui certatim hunc poetam illustrarunt, in quibus nemo dubitaverit primas tribuere Isaäco Casaubono. Post illum vero, qui omnia, praesertim quae in serioribus graecis latinisque philosophis ad Persium explicandum conducerent, in suum usum convertit, contextûs quae vocatur recensio parum processit, donec sub finem seculi praecedentis Reizius suam editionem, in usum praelectionum Academicarum comparatam, vulgavit. Nullus vero seriorum interpretum tantam Persianis satiris lucem affudit eiusque lectionem promovit quam quinque ante annis Otto Iahnius. Nec facile cuiquam veterum scriptorum editori, si Cortium [1]) in Lucano eximas, tantum codicum numerum excutere licuit. Circa idem

[1]) Fuerunt ei codices collati 79 numero; cf. Weber. in praef. edit. Cortii morte interruptae, p. XX—XXVI.

tempus praeter Iahnium etiam alii exstiterunt, qui vel ipsi criticis copiis instructi, vel aliorum vestigia secuti, in Persio illustrando elaborarunt. Prodierunt C. F. Hermanni Lectiones Persianae et editio Heinrichiana, in quibus utrisque libris etiam alia eaque nova subsidia in auxilium vocata sunt. Horum diversis in Persium collatis studiis accidit, quod raro tantum in edendis scriptoribus usu venit, ut prorsus seiunctae a se invicem copiae elaborari et in lucem emitti potuerint. Tum eodem fere tempore prodierunt Duentzeriana editio in usum scholarum comparata, et Teuffelii versio germanica prolegomenis et annotationibus ornata; quorum hic in plerisque Iahnii recensionem, ille vero lectiones ab Hermanno commendatas secutus est. Neuter uti potuit Heinrichiana editione, quippe quae a Iahnio ex ipsius Heinrichii schedis adornata, post vulgatam demum Iahnii editionem emissa est. Horum igitur quinque eruditorum virorum, Iahnii, Hermanni, Heinrichii, Duentzeri et Teuffelii in Persium commentationes, nec non aliorum virorum doctorum, qui post illos Persii satiras passim attigerunt, lucubrationes, accuratius mihi examinandas sumsi, ut, singulis perpensis et ponderatis, pro viribus exponerem quaenam praesertim lectiones, interdum etiam interpretationes, ubi laudati inter se interpretes differrent, maxime se commendarent. Neque ipse in ea re critica supellectile prorsus destitutus fui. Quum enim mea multum interesset egregias Heinsii membranas, quarum integram collationem Iahnius dolebat sibi ad manus non fuisse,

inspicere, ad virum clar. Geelium, bibliothecae Lugduno-Batavae praefectum, me converti, qui pro insigni sua liberalitate Persianos codices Mss., qui Leidae exstant, omnes mihi transmisit quinque numero, de quibus statim acturi sumus.

Pauca adhuc de ipsa mea disputatione praemonenda habeo. Pro ratione, quam in ea sum secutus, nonnunquam etiam in censum vocantur lectiones, quarum utra eligatur vel parum referat vel difficile diiudicatu sit; eas tamen omittere nolui ne a proposito aberrarem. Deinde non inutile duxi indicare, quinam ceterorum editorum, quos aut ipse inspexissem, aut quorum lectiones ex aliis editoribus mihi innotuissent, hanc illamve lectionem sint secuti, ut sic uno conspectu appareret, quid singuli rectum vel pravum receperint vel commendaverint; id quod postea vidi etiam a viro docto [1]) optari ut a Iahnio factum fuisset. Ex iis autem quas ipse inspexi, Schrevelii et Koenigii editiones minoris mihi visae sunt esse momenti. Ille enim in plerisque Pithoei secutus est editionem neque, ubi ab ea discedit, meliorem semper amplexus est lectionem. Eadem fere ratio intercedit Koenigianae editioni cum Reiziana; neque, si Commentarium spectes, magnam laudem meretur, quamquam, ut recte animadvertit Heinrichius [2]), de singulis consuli potest. Quae vero in Annotationibus congessit Schrevelius, ea haud raro e variis virorum doctorum interpretationibus sine ullo compilata

---

[1]) Teuffel. in cens. laudd. editt. Persii, in Ien. Allgem. Liter. Ztg. 1845, p. 78.

[2]) Pag. 64.; cf. etiam Passov. pag. 150, sq.

iudicio [1]), ita comparata sunt ut nulla iis auctoritas haberi possit [2]). Nonnumquam etiam ex aliis editionibus appositae sunt annotationes ad diversam lectionem spectantes, nullo tamen eius diversitatis addito indicio. Longe melior est Io. Bondii editio, quae saepe nimis ab aliis est neglecta. In codicum denique lectionibus perscrutandis non raro animadverti [3]), a Iahnio, Hermanno, Heinrichio, Passovio etiam ex iisdem codicibus discrepantes prorsus afferri lectiones, ut saepius, ubi codicum auctoritas quam maxime valere debet ad lectionem vel commendandam vel respuendam, anceps haereas quam eligas. Id indicare, quoties fiebat in locis de quibus disputavi, non praetermisi. — Codices autem quorum collatio sequitur sunt hi:

Codex Ms. Bibliothecae publicae Leidensis, n. 78. (L.), membranaceus. Est idem codex de cuius variis lectionibus iam disputavit Hermannus in Lectionibus Persianis [4]), ubi eum littera C insignivit. Tribuit is hunc codicem sec. XII., sed, auctore diligentissimo bibliothecae Lugduno-Batavae praefecto, non dubito quin potius sec. X. ineunti adscribendus sit. Iam olim eius lectiones P. Burmannus cum Breitingero [5]) communicavit. Num vero

---

[1]) Cff. Passov. p. 148 et Heinr. p. 1.

[2]) Eodem modo idem Schrevelius egit in edit. Horatii; cf. quibus verbis hac de re in eum invectus est P. Burm. in praef. edit. Horat. cum Rutgersii Lectt. Venusinis. Trai. Bat. 1699.

[3]) Idem animadvertit Teuffel., cf. cens. l. p. 778.

[4]) Cf. imprimis I, pag. 15 et II, 4 et 7.

[5]) Quem vide in Schelhornii Amoenitt. Litterr. T. X, pag. 1111; cf. Herm. Lectt. Perss. I, 15.

is antiquae tantum Vitae lectiones a Burmanno acceperit, an Satirarum etiam, et an iis usus sit, id indagare non potui. Deinde Oudendorpius ad Vitam Persii in edit. Suet. p. 1001 dicit, se in ea edenda usum esse duobus vetustissimis Persii membranis quarum alterae cum perpetuo, ut fertur, Commentario Cornuti e libris Vulcanii emtae recenseantur in catalogo pag. 328, n. 78. Qua de re nihil quidem constat. In libris enim Mss. Vulcanii, qui anno 1615 ab eius fratre in bibliothecae Acad. L. B. commodum emti sunt, quique in catalogo Mss. anno 1716 impresso memorantur, huius codicis nulla exstat mentio. Neque ulla ratione excogitari potest unde Oudendorpius huius rei aliquam habuisset notitiam. Et vel sic tamen quod Bouhierius [1]) olim suspicatus erat, Oudendorpius deinde temere, ut videtur, affirmavit, et nuper Iahnius [2]) denuo coniecit, id revera ita se habere pro certo affirmare me posse credo: nempe codicem hunc Leidensem eundem esse atque Vulcanianum; ut verosimile sit eum a superiore demum emtore postea separatim ad bibliothecam Leid. pervenisse, in cuius tabulario de ea re plane siletur. — A Iahnio [3]) vero edoctus, Merulam ad Ennii fragmm. p. 67 ex locupletiore Bonav. Vulcanii codice Cornuti quaedam proferre quae ipse Iahnius non vidisset et quorum fidem suspectam haberet, ipse eum librum evolvi et

---

[1]) In Schelhornii opere modo l. T. X, pag. 1136.
[2]) In edit. Pers. in Prolegg. pag. CLXIII, n. 1.
[3]) L. l. pag. CLXII; cf. etiam Passov. in edit. Pers. vol. I, pag. 142.

locum cum codice Leid. conferens Merulae fidem (si quidem Leid. et Vulcan. idem sunt) salvam reperi. Illud quidem scholion non magni ponderis est, sed re vera locupletius quam editum. Verba, quae citat Merula sunt ex commento ad Prol. vs. 2, ad Sat. VI vss. 1 et 10. Iis autem quae etiam in edito, ut nunc habemus, leguntur ad vs. 1, Sat. ult., post verba:

Cuius etiam Ennius in principio annalium suorum meminit hoc versu, quem etiam Persius carminibus suis iunxit et refert ab Ennio ablatum,

Merula ex codice Ms. Vulcanii haec addit:

qui Ennius hoc scripsit dum se somniasse in Parnasso dixisset et visam Homeri aninam secundum Pythagorae dogmata per aliorum corpora ad se venisse,

quae totidem verbis in codice Ms. Leid. n. 78 leguntur, sed in edito plane desiderantur. Hoc vero argumentum, nisi alia accederent, levius esse quam ut pro certo aliquid ex eo probare liceret, mox animadverti inspecto codice Voss. n. 18 in quo eadem illa leguntur. At quae Merula porro affert ad Prol. vs. 2, prorsus quidem conveniunt cum iis quae in edito exstant, sed plane diverso modo leguntur in Vossiano; cuius verba ad hunc versum haec sunt:

Bicipitem dicit, quia mons parnasus dividitur in duo iugera in elicona et duorum capitic̄. Mons in tria dividitur in iuga, in latera, in radices. Helicon mons boetiae musis consecratus. Tangit hic ennium qui dixit se vidisse per somnium Homerum sibi dicentem quod eius anima in suo esset corpore. Somniasse sicut somniavit gallus ut in virgilio habetur et factus est poeta. Mons cretae et habet duo capita vel cornua i. e. cirram et nisam. In cirram (sic) colitur apollo, in nisa liber pater.

Praeterea Lipsius ad Tac. Ann. XV, 71 et XVI, 34

duas memorat lectiones codicis Vulcanii e Vita Persii, quarum utramque codex Leid. exhibet. Altera est in nomine rhetoris Verginii Flavi ubi lectio *Verginium Flavum*, quam Lipsius ex codice Vulc. affert, cum Leid. convenit, quum in Voss. n. 18 pro ea legatur *Virgilium Flaccum*, cuius postremum verbum ab eadem quidem manu in *Flavum* mutatum est. Altera autem in nomine Paeti Thraseae quod, ex codicis Vulc. scriptura *apetithrasea*, bene correxit Lipsius. Quum autem in codice Voss. n. 18 ultimum desit folium et Vita in fine scripta sit neque hanc lectionem ex eo desumere potuit Lipsius. Itaque e Vossiano quidem nullum argumentum peti potest quo redarguatur Vulcanianum et Leidensem eundem esse, quod mihi quidem iam probatum videtur satis. Ceterum erravit Duentzerus [1]) in recensione Vitae Persii diversos statuens codicem Leid. (n. 78) quem Oudendorpius usurpavit et eum Leid. e quo Breitingerus varias lectiones dedit. Verosimiliter in hunc errorem inductus est eo quod neque Breitingerus neque Oudendorpius omnem lectionum varietatem indicarunt.

Sed breviter videamus de ipso codice: hic, nitidissime scriptus, solum Persium addita Vita antiqua, et Commentum, continuata serie scriptum [2]), complectitur. Constat tribus quaternionibus, quorum postremus in medio duo habet folia imparia, ut totus liber 26 folia contineat. Primi folii pagina recta alba est

---

[1]) In edit. Persii in usum scholarum, pag. 5, nota 1.

[2]) De varia ratione qua scholia in codicibus contexta sunt, cf. Iahn. in Prolegg. p. CLXIII.

et a parte superiore adscripta habet verba *persius flaccus*, ab inferiore *Probatio penne* et *Probatio encausti;* pagina versa habet Vitam. Ipsius deinceps Persii verba singularum paginarum tertiam tantum partem complectuntur oram interiorem versus; duas relinquas Commentum. Neque memoratu indignum est id scriptum esse ante quam ipsae satirae exaratae sunt, quod inde apparet, quia in initio, ubi plura et longiora sunt scholia, pauci tantum satirarum versus singulis paginis continentur, ita ut unus versus Persii tres saepe impleat lineas et inferior laterculi pars nonnunquam alba relicta sit; deinde vero, ubi scholia sunt contractiora, contextus multo pressior scriptus est. Singulae inscriptiones argentatae sunt; sic etiam initiales singulorum versuum, sed hae alternatim tantum. Post Vitam legitur *Incipit adnotatio*, et in fine scholiorum: *Commentum Cornuti in Persio satirico more exposito explicat.* Tum ......*tur sapiens cernetur fove*; et denuo *Explicat Commentum Cornuti.* Manifesto errore librarius post ultimum verbum Satirae sextae adscripsit *Explicit versus de Philomela*, quae verba nullam hoc loco explicationem admittunt. Quod autem ad ipsam scribendi rationem attinet quam librarius in Persii verbis secutus est, est ea fere semper constans. Ubivis in interrogationibus signum interrogandi positum est. Supra vocativum littera *o* raro omissa est, quod etiam in reliquis codicibus observavi. Scripturae compendia pauca: sic tribus tantum in locis *hoc* et *haec* per simplicem *h* cum siglo exaratae sunt. Semper fere *ae* scriptum, vel *e* cum signo subscripto, ubi di-

phthongus requiritur. Alliteratio raro admissa, frequens omissio litterae *s* in compositis post praepositionem *ex*. Uno in loco Sat. VI, post versum 16 alienum versum insertum habet: *doctus et ad calicem vigilanti stertere naso*, qui est Iuven. Sat. I, 57 [1]). Sed universe scriptura accuratissima est et codex ipse, quem merito magni fecit Hermannus, praestantissimus. Haud raro cum reliquis optimis codicibus meliores tuetur lectiones. Sic v. c. Sat. I, 59 solus e Leidensibus optimam habet lectionem *imitari*, ut verosimile sit eo iam Nic. Heinsium [2]) usum esse. Ut vero melius de eius pretio iudicetur, haud inutile duxi omnes, ne levissimis quidem exceptis, indicare scripturae aberrationes quibus a Iahnii recensione, cum qua hunc et reliquos codices contuli, differat. Quum autem Hermanniana huius codicis collatio non omnes eius exhibeat varias lectiones, neque constet ad quam editionem eam instituerit [3]), nec ubivis immunis sit erroribus [4]), meam pleniorem et, ut spero, diligentiorem collationem, quam cum Hermanniana rursus contuli, non puto supervacaneam fore.

Codex Ms. Vossianus Lat. (Ex Bibl. V. Ill. Is. Vossii.

---

[1]) Cf. Herm. Lectt. Perss. III, 31.

[2]) Is enim e cod. vetustissimo Leid. duobus in locis hanc lectionem citavit in Advv. I, 3, 28, sq. et in epist. ad Graev., in Syll. Epist. Burm. T. IV, ep. 357, pag. 432. Cf. Iahn. in Annot. Crit. ad I. Pers. I.

[3]) Cf. etiam Iahn. in Cens. Herm. Lectt. Perss. in Zeitsch. f. d. Alterthw. 1844, pag. 1106.

[4]) Sic in locis ubi ipse codicis Leid. lectiones aperte citat eius collatio differt a nostra in Sat. III, 19. 89. 108; V, 11. 58. 52. 121. 163; VI, 37.

27.), Q°. n. 18. (V 1.) est item membranaceus, forma maiore. Scriptus est nitidissime, sec. X. vel IX. exeunte et cum Iuvenale una Persium continet. Habet folia 90, sed desunt primum (ut ex paginarum notatione et primo quaternione patet) et postremum. Divisa sunt in quaterniones, quorum Iuvenalis novem fere integros complectitur, qui singuli ab ima parte postremae paginae numeris notati sunt; Persius autem duobus integris quaternionibus, qui eodem loco, sed minus solita ratione [1]) litteris pictis A et B, notati sunt, et sex foliis continetur. Incipit folium 2 initio Sat. I Iuvenalis et desinit fol. 91 verbo *aequales* e Vita Persii, quae in hoc codice ipsas satiras subsequitur. Iuvenalis habet glossas interlineares et scholia marginalia; locupletiora scholiis edit. Heinrich. vel potius prorsus ab his diversa. — Sic etiam in Persio scholia exstant, quae plerumque quidem cum Commento Cornuti conveniunt, sed passim longiora sunt vel breviora, passim plane diversa. Haec autem scholia non omnia eodem tempore neque eadem manu scripta esse videntur, sed partim quidem non recentiore quam ipsius poetae verba, quibus tam ab utroque latere quam infra et supra in marginibus adscripta sunt. Nusquam, quantum animadvertere potui, Cornuti in iis mentio fit, neque continuato ordine procedunt, neque semper signis additis indicantur verba ad quae spectent. Lemmatum etiam usus perrarus. Nonnumquam haec scholia praebent

[1]) Cf. Ang. Maius in praef. ad Cic. de Rep. edit. Steinack. c. XII, pag. XXXIV.

annotationes, quas etiam Iahnius affert ex cod. Paris. n. 8272. Sic quoque ad Sat I, 34, Phyllidis fabula, ut in Paris. [1]), iisdem verbis narratur, quibus a Serv. ad Virg. Ecl. V, 10; quocum etiam Voss. n. 13 (de quo mox) ad h. v. magnam partem convenit; praeterquam quod hic pro *Demophoonte* bis *Bellerofontem* habet. Ad eundem versum etiam hi duo codices idem scholion habent quod dedit Iahnius [2]) ex cod. Bern. n. 665, et quod in Voss. 1 sic scriptum exstat:

Hipsipila fuit uxor [alter Voss. addit *eiusdem*] hellerofontis. Qui cum bello thebano ab hostibus captus fuisset uxor sua se tradidit pro eo et sua morte redemit eum.

Porro cum cod. Paris. [3]) etiam communes habet annotationes has ad Sat. III, 32:

[Verecundatur quia stupor stulti est, pudor vero sapientis, ut boetius, pudore an stupore, mallem pudore.] Pingue [ideo dicit quia pinguedo stultos et ebetes facit homines vel in] pinguatum cor habet, ideo non curat legere [4]). [Pingue neutri (sic) generis est et semper in idoneis invenitur rebus.] Pingue enim cor hebetes facit homines quod probamus ex onagro. Onager enim ceteris animalibus pinguius habet et ideo stultior omnibus[, sicut ferunt phisici, animalibus [5])].

item ad Sat. III, 48 [6]):

Ludum tesserarum. apud veteres lusores a numero vocabantur.

---

[1]) Cf. Iahn. pag. 256, n. 1.

[2]) Pag. CLXIII, Sq.

[3]) Cf. Iahn. pag. 299, n. 3. Quae uncinis inclusi in Paris. non occurrunt.

[4]) Post haec verba cod. Paris. apud Iahn. addit: »*pinguedo* enim non est Latinum."

[5]) Pro iis, quae h. l. uncis inclusa sunt cod. Par. habet: »esse videtur."

[6]). Cf. Iahn. pag. 301, n. 4.

Ut unio, trio, quadrio (*quarto* Paris.), senio. nunc appellatio singulorum mutata est et unionem canem, trionem pupum, quadrionem (*quaternionem* Par.) senionem (om. et lacuna in Par.) vocaverunt.

Sed etiam alias habet similitudines. Velut quae, teste Iahnio [1]), exstant in codice Bongarsiano ad Sat. VI, 28 etiam in eo, paullum mutata, occurrunt;

A bruto. ad quae quondam fuit ligatus brutus. et qui ibi proetium (sic) cum crasso fecit.

Porro concinit plane ad Sat. I, 4, cum iis quae El. Vinetus in Epist. autographa ad P. Danielem [2]) ex codice Io Tillii Brionensis episcopi, de poeta Labeone affert. Vossianus 1 ea sic exhibet:

Labeo poeta latinus fuit, ut fulgentius in libro ethimologiarum ait qui carmen et opus omericon vertit in latinum et placuit non magis auditoribus quam lectoribus. Eius versus est: Crudum manduces priamum priamusque pisennos.

quae eodem fere modo leguntur in altero Vossiano, qui post ea quae de Labeone in edito quoque exstant, sic pergit:

Fulgentius in libro mito logiarum dicit quod labeo fuit poeta latinus, qui carmen homericum et opus transtulit de greco in latinum et placuit non magis adulatoribus quam lectoribus polidamantis (sic) scilicet et mulieribus latinis.

Num vero ea quae in codice Tillii memorantur [3]) ad Sat. II, 42, de *tucetis* » quae Fulgentius escas regias esse scribit" ut dicit Vinetus in epist. l., conveniant cum iis quae habet Voss. 1 ad h. l., alii videant, quibus illius codicis inspiciendi copia sit,

---

[1]) In Prolegg. pag. CXCVII, n. 2.

[2]) Hanc Epistolam integram posuit Iahn. in Prolegg. pag. CXVII; cf. etiam idem pag. 248, n. 5.

[3]) Cf. Iahn. in Prolegg. l. l.

vel qui sciant quid tandem de eo codice factum sit. In Vossiano certe legimus:

Tuceta dicuntur escae regiae, sicut callimorphius dicit in piseis: Ambrosio redolent taceta favorem (l. Callimorphus dicit in Pisacis: *Ambrosio redolent tuceta sapore* [1])) vel tuceta sunt carnes bubaline condimentis quibusdam crassis oblite hac (sic, l. *ac* cum gll. Pith.) macerate et ideo toto anno durant. Quia inquid nimis comedis ideo non potest (sic) esse fortis nec diu vivere.

Neque plura colligere licet ex eo quod Vinetus [2]) dicit in Tillii codice ad Sat. I, 25, pro *Bris enim* scriptum esse *Brisin*, quod etiam in codice Leid. exstat [3]); cum quo codice etiam hoc scholion in Voss. 1 lectiones *sive* pro *vel* et *briseidem* pro *briseida* communes habet. Cum edito tamen in fine habet *dicimus* (non *dicitur*, ut Leid.), sed pro aliorum *exprimere* in eo *frangere* inveni, ut etiam Iahnius [4]) ex cod. Paris. annotavit.

Quae idem Iahnius [5]) affert e codice Darmstadiensi ad Prol. vs. 8 de *psittaco*, etiam in hoc codice, sed pleniora et cum Commenti verbis coniuncta exstant. Alter vero Vossianus (V 2.) magis cum Darmstad. convenit. In Voss. 1 haec leguntur:

Psitacus avis solummodo in indiae partibus gignitur colore viridi, torque puniceo, grandi lingua et ceteris avibus latiori. Unde articulata verba exprimit, ita ut si eam non prospexeris homi-

---

[1]) Ita correxi ex Fulgentio in Exposit. Sermm. antiqq. edit. Munck. pag. 180, in T. II. Mythogg. Latt.

[2]) L. l.

[3]) Cf. Herm. Lectt. Perss. I, 20.

[4]) Pag. 265, sq. n. 6.

[5]) Pag. 246, n. 3.

nem loqui putes. Quae avis pro munere regibus offertur. Ex natura autem salutat dicens: kairre i. e. ave. Hinc est illud: *καιρη κησαρανικος* i. e. ave cesar invictissime. Nam cetera nomina institutione i. e. doctrina discit. Hinc est illud: Psitacus a vobis aliorum nomina disco, Hoc didici per me dicere: cesar ave [1]). [Quod ingenium ita romanae delitiae miratae sunt ut barbari sept .... mercem fecerint.] Cuius avis rostrum tantae duriciae est ut cum se praecipitat in (*e ?*) sublimi in saxum nisu oris se excipiat et quasi quodam utatur praesidio. Caput vero tam valens est ut si quando ad discendum sit ammonitus plagis dum pullus est ferrea clavicula sit verberandus. Nam studet ut loquatur id quod homines atque ideo intra alterum aetatis annum quae monstrata sunt et cicius discit et tenaciter retinet. Maior est paulo segnior et obliviosus et indocilis. Inter nobiles et plebeios discretionem facit numerus digitorum. Qui meliores sunt quinos digitos habent, cetero vero ternos.

Verba uncis inclusa in eo quidem codice desunt, sed ex altero Vossiano, ea inserui. Praeterea notitia de proposito Persii in scribendo, de origine et nomine satirae, et quae ad Prol. vs. 1 pertinentia de Gorgonibus in nonnullis codicibus leguntur [2]), etiam in tribus nostris Vossianis exarata sunt. Vossianus 3 tamen pauca tantum continet; plura alter Voss., sed misere lacerata et perturbata; in hoc vero Voss. 1 longe copiosiora et meliora servata sunt quam a Iahnio afferuntur. Quam ob rem hic describantur:

Satira est genus clarni vel lancis multis ac variis frugum generibus plena. Clarnus potest appellari discus vel mensa quae referta sacrificiis veneri consuevit inferri. Est autem dicta satira

---

[1]) Mart. XIV, 73.

[2]) Vid. Iahn., pag. 240, sqq. Cf. idem in Prolegg. p. CLII, n. 1 et CLXI.

a saturitate. Unde in choro Liberi patris ministri vino atque epulis pleni saturi appellantur. Hinc descriptura poematis satirici hunc titulum accepit, quod personis factisque saciata habundare videatur. Satira igitur a saturitate quod plena sit conviciis et reprehensionibus hominum. Persius diu admodum hesitans utrum potius miliciae an poetriae incumberet tandem ad satiram scribendam animum convertit nec adeo voluptuose. Unde et quasi subtristis scribere cum rabulatione inchoat. Fuit autem senator, scienciae nobilis, genere tuscus, discipulus bassi philosophi [1]) et de moribus hominum multa conquestus est. Rabulatio dicitur altercatio cum ira. Satira alio modo dicitur lex apud romanos data, quae fucatis verbis fallit audientes, ut aliud dicat aliud significet. —

In hac praefatione dicit persius se non esse poetam, sed eppopoen (ἐποποίην?) i. e. semipoetam, et dicit fame coactum. Quod cum de se dicat non dubium quin de omnibus dicat.

Apologiam facit modo poeta et excusat se quodammodo non ideo scripsisse ut poeta appareret, sed potius inpulsu quodam mentis quia videbat tunc multos poetriae incumbere et per transitum istum ostendit se primum coepisse scribere causa victus ut salarium [2]) mereretur. Salarium est victus unius diei.

---

[1]) Post haec verba in Voss. 2, in quo praecedentium perpauca tantum exstant, haec leguntur: »Deliberavit autem i. e. moras habuit diu, apud severum scripsit et satyram primo inchoavit et postea demisit. Tandem resuscepto spiritu satiram scripsit et hunc librum composuit. ostendit autem in hoc capitulo quod necessitate coactus satyram scripsit, et initio dum sese non didicisse poetriam. Unde more traico a declamatione inchoat." Quae in hoc codice post ea sequuntur plenius dat Voss. 1. in fine Prologi, ita: »Videns Persius multos libidinari in scribendo ad hoc tantum ut favorem populi adquirerent, reprehendendo cum increpatione inchoat ex abrupto. Nam ante philosopiae studuerat apud bassum quidem primo, deinde apud cornutum."

[2]) Haec periodus etiam in Voss. 3. occurrit, qui salarium interpretatur: *i. e. praebendam.*

Hic fabulam tangit [1]). Forcus rex tres filias gorgonas fertur habuisse. Stennon, eurialen et medusam. Erant autem tantae pulchritudinis ut intuentes se verterent in lapides. Una autem illarum praeferebat se reliquis in pulchritudine crinium maxime i. e. $\overset{med}{\text{creusa}}$. Quam perseus adhibito cristallino clippeo interfecit et caput illius abscidit et secum deportavit, quod intuentes quoque homines in lapides vertebantur. Unde cum venisset ad athlantem regem mauritaniae et noluisset eum ospicio suscipere ostendit ei caput gorgonae, qui statim versus est in montem sui nominis secundum fabulam. Fuerunt autem locupletes nimis. Unde gorgones dicuntur, quasi georges i. e. terrae cultrices. Ge enim graece terra. Orgia cultura dicitur. Mortuo autem patre successit ei medusa in regno, quam auxilio minervae interfecit perseus rex asiae, et de sanguine eius egressus est pegasus equus, qui pede suo terram percutiens produxit fontem nomine pegasum sicut fabula finxit greca. Qui fons dicatus est poetis et musis. Hinc marcianus: et fons gorgonei tulit caballi. Hoc fabulosum. Est tamen veritas querenda. Gorgo terror; Stennon debilitas, Euriale lata profunditas; Medusa oblivio interpretatur. Haec omnia terrorem hominibus faciunt, quae omnia perseus occidit, qui latine virtus interpretatur. Cum auxilio minervae i. e. sapientiae interfecit, quia virtus auxiliatrice sapientia omnes terrores vicit. De cuius sanguine egressus equus pegasus est. Pegasus enim fama dicitur quia virtus omnia superans famam sibi conquirit. De quo potant poetae, quia in laudem virtutis videntes eam victricem prosiliunt.

Ex iis denique quae in scholiis huius codicis exstant neque usquam alibi, quantum quidem memoratum reperi, nonnulla speciminis gratia apponere lubet [2]).

---

[1]) Supra haec verba in Voss. 1. lemma scriptum est: *Nec fonte labra.* Sequentia etiam exstant in Voss. 2., sed valde lacerata. Voss. 3. ea longe breviora habet.

[2]) Ad Sat. III, 56 etiam in margine superiore una cum littera maiuscula Y adscripti sunt sequentes versus hexametri:

I, 29. Sensus hic est. Num quid pro nichilo duces te fuisse dictata centum cirratorum i. e. quod centum cirrati de te loquebantur. Certe letari debes quia maxima gloria est a centum laudari cirratis i. e. scolasticis. Apud antiquos enim criniti erant iuvenes (suprascr. *vel adolescentes*) usque ad certam aetatem et ab ipsis crinibus cirrati dicebantur. Cirri enim dicuntur capilli vel etiam cirratis cinedis quia omnes cinedi cirrati erant. Nam cinedi sunt pueri veterum qui habebant cirros i. e. crines in honorem veneris consecratos. Quo (*quos?*) statuto tempore metebant et igni deae veneris consecrabant. Constat autem multum dictasse cinedos. Occulte vero carpit neronem cuius carmina celebrabantur per scolas.

II, 70. Puellae quando devirginande erant faciebant popas et statunculas quasdam ex vestibus factas quas offerebant veneri ut eis auxiliaretur in illo discrimine.

III, 29. Censores dicebantur qui mores senatorum censebant, i. e. iudicabant et quosdam a senatu propter morum vitia repellebant; non inproprie tuum sed ad certum tempus. Censorem ergo dicit magistrum, vel consulem et iudicem.

III, 84. Epicurei dicunt mundum non de nihilo, sed de athomis creatum esse. Ideoque non in nihilum posse resolvi sed rursum in athomis. Dicunt enim duo rerum esse principia, corpus et inane. Omne namque quod est, aut continetur, aut continet. Et corpus volunt esse athomos i. e. quasdam minutissimas particulas quae thomum i. e. sectionem non recipiunt. Unde athomi sunt dicti quas lucretius minutissimas dixit esse, illis corporibus quae infusis per fenestram radiis solis videmus. Inane vero dicunt spatium in quo sunt (sunt) athomi. De quibus duobus participiis (*principiis?*) volunt procreari ignem, aërem terram et aquam et ex his cetera. Varia est opinio philosophorum de creatione mundi. Quidam dicunt ex igne omnia constare. Alii ex humore Tale milesius. Nonnulli ex quattuor

---

Haec spatiosa via est, quae mortis ducit ad ima,
Arta via est verae quae ducit ad atria vitae.

elementis, ut lucrecius. Epicurei verodicunt duo principia esse athomos et inane. Athomi vero sunt corpora brevia quae athomi i. e. insecabiles. Inane vero est illa vacuitas in qua athomi erant (*errant?*). An (*Non?*) ergo gignitur de nihilo nihilum quia mundus non de nihilo est, sed de athomis potest resolvi in nihilum, sed potius in idem, unde originem habuit. Ex quattuor enim elementis conditus est mundus iste maior. Unde microcosmus appellatur minor mundus i. e. homo, qui similiter ex quattuor elementis constat.

IV, 21. Baucis proprium nomen est aniculae, uxoris quondam philemonis. Juppiter enim et mercurius hominum figuras versi, in regione frigiae, cum animos incolarum experti, a nullo exciperentur hospitio, a philemone quodam paupere et baucide uxore eius hospitalissime excepti et cum maxima voluntate rebus humillimis ad victum necessariis simplicissimos animos pauperum experti sunt.

Ergo ut nūm (*numina?*) hanc vim ostenderent suam, sevocatis senibus in excelsiorem collem casam eorum in templo converterunt eosque antistites sacrati loci praefecerunt, ita ut, cum senectute in arbores converterentur, Philemon cederet in fructicem, baucis in italiam (*tiliam?*). Oppidum autem eorum quos ceteros inhospitales cives habuerat, cum multitudine obrutum stagnum factum est. Laudatur igitur baucis quod diis libenter ministraverit.

IV, 31. Caephal sive caepha grece; latine caput dicitur. Unde et caephalus (*acephalus?*), sine capite. Hinc et caepe a principaliori sui parte i. e. capite dicitur, quo reciso reliquum corpus flaccens et inutile redditur. Facit hoc cepe numero singulari indeclinabile, plurali numero hae cepe declinabile.

IV, 41. Filix herba est quae multas radices mittit et licet aratro vellantur non tamen radices funditus extricat, quia postquam semel radicaverit difficile abrumpitur. Ita et ingenitae radices pilorum difficile evelluntur, qui renascuntur. Filicem enim vel pilos dicit, vel ipsam libidinem.

IV, 49. Puteal locus erat apud senatum vel ante theatrum in quem debitae res solvi verberibus cogebantur.

V, 180. Herodis dies vel aptiles (*apriles?*) dicit kalendas veneri sacratas, vel ab eo quod lucheros (λυκέρως?) i. e. cupido. Herodis dies cupidineos dixit, i. e. festivos, voluptuosos.

V, 184. Recutitaque, i. e. veteri (*veretri?*) pelle recisa. Quia Judaei, qui sabbata colunt, extremam veretri cutem non habent.

V, 185. Lemures, larvales umbrae, a laribus dictae, i. e. manes q̄m corporibus illo tempore tribuuntur, quo fit prima conceptio. Et postquam nascuntur isdem corporibus delectantur atque cum his manentes lemures appellantur. Qui, si vitae prioris adiuti fuerint honestate, in lare domorum vel urbium post mortem corporis vertuntur. Si autem depravantur ex corpore larvae perhibentur ac lamiae. Larvae autem sunt mali dii. Lamiae mali demones.

VI, 10. Hennius enim poeta somniavit se esse homerum et sic longo tempore tenuit se fuisse in bello troiano.

VI, 77. Genus tormenti quo sancti cruciabantur apud capadoces, ex virgis ferreis contextum, vel genus ludi, quo qui iocantur magis p̄centur (?).

Praeter huiusmodi scholia, quae pleraque seriorem aetatem redolent, codex hic multas etiam habet glossas interlineares, in quibus passim nonnullae VV. LL. servatae sunt, unde simul apparet, partim mature iam de genuina lectione non constitisse, partim etiam, quomodo deteriores lectiones in textum irrepere potuerint. Praecipuae sunt hae:

Prol. 2. *prodierim — apparerem vel prodirem.*
5. *remitto — concedo vel relinquo.*
lambunt — vel ambiunt.
9. *conari — vel sonare.*
12. *refulserit —refulgeat.*

14. *melos* — *vel nectar. sive divinum. vel dulcidinem musicam.*

Sat. I, 44. *feci* — *vel fas est.*

60. *tantae* — *i. e. magnae. tantum prolatae.*

61. *fas est* — *vel ius.* [1]

87. *bellum hoc* — *sive est.*

97. *coctum* — *vel tectum.*

107. *vero* — *vel versu.*

II, 14. *conditur* — *pro condicitur.*

69. *in* $\overline{\textit{sco}}$ — *i. e. in templo.*

III, 9. *findor ut* — *pro finditur.*

16. *columbo* — *i. e. agresti.*

54. *detonsa* — *intonsa.*

108. *adtende* — *sive adtende.*

V, 51. *quod* — *vel quid.*

78. *temporis* — *vel turbinis.*

84. *ut libuit* — *i. e. sicut voluit.*

96. *gannit* — *vel garrit.*

124. *sumis* — *vel sentis.*

130. *quin* — *vel quid.*

150. *pergant* — *vel peragunt.*

sudore — *cum, vel sudare.*

VI, 24. *turdarum* — *pro turdorum.*

46. *victis* — *vel potius captis.*

68. *impensius* — *vel iam pensius.*

77. *pavisse* — *vel plausisse.*

Universe autem de hoc codice animadvertendum,

---

[1]) Haec glossa in eadem linea cum poetae verbis et eodem modo scripta est.

eum plerumque conspirare cum optimis locupletiorum codicum lectionibus, etsi et alias habet minoris auctoritatis; ut ex gr. Sat. I, 59. 87. 111. Sed contra Sat. I, 74, recte tuetur *cum;* III, 46, *discere et insano;* IV, 35, *in mores*, aliasque: ut, si hunc codicem et Leidensem inter se comparemus, videamus esse verissima quae Iahnius [1]) de Persii codicibus disputavit, ne optimae quidem notae libros ita comparatos esse ut aliorum eiusdem notae ope prorsus indigere possimus, quum neque optimi codices quibusdam in locis in genuinas vel corruptas lectiones conspirent; quare veram lectionem ex compluribus demum melioris notae codicibus firmari posset. Huius vero Vossiani scribendi ratio etiam in nonnullis a Leidensi differt. Ita semper fere scribit *michi* et *nichil;* sic etiam Sat. V, 79 sqq. *marchus* et *marcho*, ubi semel loco litterae *h*, a prima manu antiquum spiritus asperi signum (ⱶ) suprascriptum est, quod etiam Sat. V, 132 et in eius scholiis saepius occurrit. Deinde *vitium* semper per *c* scriptum est, *aptius* et *optare* per *b*. Etiam in initio vocabuli nonnumquam pro *e* inveni *ae*, contra diphthongus plerumque, ut in Leid., servata est. Ceterum summa cura in scribendo adhibita est, ut mireris interdum duo vocabula esse transposita. Pictoris vero incuriae tribuendum videtur, quod in Prologo tria priora vocabula omissa sunt, pro quibus solummodo litteram initialem N ingenti forma depinxit. Nonnunquam enim primus

---

[1]) In Prolegg. pag. CXCIII, sq. Cf. idem in Cens. l. pag. 1109.

versus pingebatur, vel certe litteris quadratis scribebatur, ut etiam in hoc codice factum videmus. Satirae autem quamvis vulgato ordine collocatae et divisae sunt, inscriptiones tamen alium ordinem indicare videntur, ut in VV. LL. notabimus. Etiam in mediis satiris sunt aliae inscriptiones, quae omnes, ut singulorum versuum litterae initiales, rubro colore appictae et deinde deargentatae sunt.

Codex Ms. Vossianus Lat. (Ex Bibl. V. Ill. Is. Vossii. 110.) Q° 33. (V 2.), membranaceus. Continet hic codex plura opera, quae ab initio non omnia uno fasciculo comprehensa fuerunt. I. M. Tullii Ciceronis Rethoricorum libri duo [1], quorum in primo folio adverso scripta sunt verba *Bibliothecae Schobingiae*, ceteroquin album est. In parte aversa continet miniaturam, in qua repraesentatur Cicero una cum Rhetorica et alia imagine. Codex ipse nitidissime scriptus est, additis glossis marginalibus et interlinearibus. In fine desunt verba a §. 175 usque ad vocabulum *dictum est* in verbis *Animi est virtus*, rell. §. 177. — II. Fragmentum Persii cum scholiis, foliis 3, ut in primo folio annotatum est additis verbis *Ex Bibliotheca Schobingia*, quae scripta sunt in media figura lusum quemdam, ut videtur, exhibente monachi alicuius. Haec folia, quae bibliopegae culpa male inserta sunt, ut patet ex auratis marginibus, minoris sunt formae

[1]) Horum librorum ex hoc codice collationem dedit Oudendorpius in Burm. edit. Cicer. Rhetorr. ad Herenn. et de Invent. L. B. 1761, pag. 614 sqq.

quam libri Ciceronis, sed iam antequam deaurarentur derasa esse videntur, quum a tribus partibus verba aliquantum abscissa sint. Intermedium habent folium multo minoris formae, quod ex Ciceronis Somnio Scipionis fere tota capita 2 et 3 continet. — III. Quae porro in hoc volumine sequuntur unius sunt fasciculi, cui quaedam ab initio desunt. In primo folio adscriptum est *Ex Biblioth. Goldasti.* Quae his continentur pleraque sunt argumenti grammatici et magnam partem cum ipso fasciculo recensita a Lindemanno in editione operum minorum Prisciani [1]). Praecipua sunt: fragmentum quaestionum et responsionum in Artem Donati; — versus Lactantii de Ave Foenice [2]); — libelli duodecim Prisciani grammatici de duodecim versus Virgilii ad pueros; — versus Ausonii Tethopegnii [3]) dicti; — liber Prisciani ad Symmachum; — eiusdem Praeexercitamenta; — versus Prisciani eloquentissimi de est et non; — Periegesis Prisciani grammatici (1087 versus); — Q. Serenus Sammonicus de Medicina; — libri Catonis philosophi [4]); — versus (28) de Filomella; — pauca de Barbarismo de multis; — alia minoris momenti.

Sed ad Persii folia redeamus. Scripta sunt haec

---

[1]) Lugd. Bat. 1818; in praef. pag. XV—XXIV.

[2]) Hunc codicem adhibuit Nic. Heinsius in huius carminis edit. in Burm. edit. Claudian., pag. 1034.

[3]) Alias *Technopaegnion* liber vocatur.

[4]) Usus videtur hoc codice Arntzenius in edit. Cat. Distt. Trai. ad Rh. 1735.; cf. huius edit. praef. in altera edit. 1754, pag. XXIII.

sec. X. et continent Prologum cum Sat. I, 1—59, quod non accurate indicavit Lindemannus [1]) dicens ea prooemium Persii continere. Scholia, quae idem haud spernenda iudicavit et nondum edita dicit, partim, ut iam animadverti, cum scholiis codicis Voss. 1 conveniunt, partim cum editis. Duo item scholia offendi, quae Iahnius ex aliis etiam codicibus attulit: alterum [2]), ex codice Bern. 665, quod Vossianus hic rectius sic habet:

I, 17. (Hoc) dicit, quod talis [Bern. *Tarsus*] poeta (recita)tur(us) carmen ad hoc ornatus (et fest)ivus incedebat, ut corporis (habitu) se audientibus commenda(ret).

Alterum [3]) ex Paris. 8272, ad vocem *plasma*, ubi noster Vossianus hanc glossam interlinearem, sed corruptam, exhibet:

I, 17. i. e. conasco. dicitur a greco quod est phone vox.

Quod vero ad ipsas lectiones attinet, non inter optimos codices censendus est; habet ex. gr. Prol. vs. 5: *relinquo*, sed cum glossa *concedo vel relinquo*, unde patet hanc ex altero libro exscriptam esse in quo erat *remitto;* 12: *refulgeat;* 14: cum plerisque *melos*, sed addita glossa *vel nectar;* Sat. I, 6: *examenque;* 4: *fas est;* 59: (vulgatam) *imitata est*. Duas etiam habet cum nullo alio codice communes, Prol. vs. 2: *praecipiti* et Sat. I, 44: *o homo*. Glossae et scholia tantum adscripta sunt usque ad postremae paginae versum priorem (vs. 41). Signum in-

---

[1]) L. l. pag. XVI.
[2]) Cf. Iahn. in Prolegg. pag. CLXIV.
[3]) Cf. id. pag. 252, n. 2.

terrogandi ubique exstat. Uno in loco, ubi littera *h* omissa est, antiquum spiritus asperi signum suprascriptum est. Prima littera prologi colorata est, sed nulla addita inscriptio. Satira unius tantum versus spatio a prologo separata est et prima eius littera, pictoris culpa, alba est relicta.

Codex Ms. Vossianus Lat. (Ex Bibl. V. Ill. Is. Vossii. 205.) Q°. 13. (V 3.), membranaceus. In hoc volumine quinque insunt diversi fasciculi. I. Continet tria opuscula ad rem medicam pertinentia. 1°. Epistola inscripta: Yppocratis Mecenati suo salutem. Fortasse idem tractatus qui sub nomine fertur Antonii Musae et vocatur *Instructio de bona valetudine conservanda* [1]. 2°. Antonii Musae liber de herba Betonica. Praemissa est epistola inscripta: Antoni Musus M̅. Agrippe Salutem. Nomen herbae modo *vetonica*, modo *vettonica* scriptum est. 3°. Epistola Platonis Apoliensis data ad cives suos, cum libello de nonnullarum herbarum vi in medicina. In hoc libello, qui non ad finem perductus est, aeque ac in opusculo Antonii Musae variarum herbarum imaginum modo delineationes appictae sunt, modo ad eas apponendas vacua spatia intermedia relicta. Initiales minio, plerumque etiam argenteo colore obductae sunt et singularum sectionum capita minio adscripta. II. Hic fasciculus, ut etiam prior, duobus constans quaternionibus, continere videtur nonnulla decretalia Caroli

---

[1]) Cf. Baehr. Gesch. d. roem. Literat. T. II, pag. 529.

Magni, ut ex iis, quae recentior manus ad marginem annotavit, mihi innotuit. Magnam partem agit de congregatione concilii generalis, qualiter est in ea procedendum. Passim in marginibus clericorum imagines calamo appositae sunt. III. Unus est quaternio complectens tractatum sine inscriptione, monachi, testis oculati, ut videtur, de oppugnatione Damiatae. Nitidissime scriptus est et singulae paginae in duas partes divisae sunt. Incipit sic: *Honorabilibus dominis suis Elgelberto coloniensi episcopo maiori preposito. maiori decano. ceterisque prioribus. totique clero. Oliverus peccatorum servus emptitius crucis dictus coloniensis. scolasticus. per viam salutis ad aeternae beatitudinis consortium feliciter pervenire. Sapiens corde et fortis robore, qui facit magna et inscrutabilia et mirabilia quorum non est numerus. qui excelsos iudicat. qui ponit humiles in sublimi. ipse magnificatus ; solus in obsidione damiete.* Sequitur Hystoria de lege et natura sarracenorum et de vita et origine et lege Mahumet prophete eorum que fuit et cepit temporibus Eraclii Romanorum Imperatoris, et plura eiusdem argumenti. In ipso tractatu non *Mahumet*, sed *machomet* et *magomet* scriptum est. Postremum folium vacuum, sed plura in eo ab alia manu scripta deleta sunt. IV. Annotatio Provinciarum orbis archiepiscopatuum et Episcopatuum. V. Unus denique quaternio complectens Persii Satiras, scriptas sec. XIII. Scriptae autem sunt summa incuria, ut textus scateat mendis,

quae pleraque a secunda manu, quae etiam crebris scripturae compendiis sigla apposuit, correcta sunt. In margine superiore primi folii pauca corrosa sunt de satira. Singularum satirarum initium indicatur etiam littera initiali rubro colorata, quod etiam errore factum est Sat. III, 15. Passim paucae annotationes nullius fere pretii in margine adscriptae sunt. Sic v. c. ad Sat. III, init. legitur, in ea *clericos* perstringi *qui discendi causa alienas terras petentes nichil discunt sed omnia sua scortando dilapidant*; ad nomen *Bovillas* Sat. VI, 55 adscripta est glossa *ad villam.* Exstant porro in hoc codice nonnullae lectiones nusquam alibi obviae; ex. gr. Sat. I, 19: pro *probo* habet *bono*; vs. 21: *viscera* pro *intima*; IV, 48, solus exhibet lectionem a Iahnio [1]) quidem e coniectura receptam, sed quam postea merito missam fecit [2]), *amorum* suprascripto *vel arum.* Ne vero in codice haud magni momenti putida quadam diligentia omnes scribendi etiam aberrationes indicarem, satius duxi plerumque ea omittere; sic numquam indicavi semper fere simplex *e* scriptum esse pro diphthongo. In fine codicis brevis est disputatio de vita Persii et de argumento eius satirarum, quam sequitur brevissima annotatio de Persii scribendi consilio et de Gorgonibus, ut iam supra memoravimus. Conscripta haec sunt ab homine Latini sermonis prorsus ignaro. In ea tamen duo animadvertenda: primum

---

1) In Annot. crit. ad. h. l. p. 42.

2) In Prolegg. pag. CXCIII, n. 1. Cf. Teuffel. in vers. pag. 70, n. ** et in Cens. l. p. 781.

quae de Persii vita dicuntur, narrari *Cornuto referente* vel *Cornuto iudice;* alterum, in hac disputatione prologum pro satira haberi. Denique statim post has annotationes sequuntur quaedam Praecepta Medica.

Codex Ms. Perizonianus (Ex Legato V. Clar. Iac. Perisonii) Q°. 38. (P.), membranaceus, sec. XV; continet Iuvenalem et Persium. In folio pari, quod cum ligatura conglutinatum est, legitur hunc codicem antea fuisse Bernhardi Rottendorffii, archiatri Episcopi Monasteriensis et Paderbornensis, Ferdinandi Furstenbergii; sed deinde redemtum esse Duisburgi Cliviorum anno CIƆIƆCCLX. a Ioh. Hildebr. Withofio. Rottendorffii manus in primo folio ipsius codicis apparet cum nota a. CIƆIƆCXLVIII. In parte folii, quae non cum ligatura connexa est, scriptum exstat, manu fortasse Perizonii, *D. Junii Juvenalis et Auli Persii flacci Satyrae. — XVIII. Periz.;* et alia manu additi duo primi Iuvenalis versus. Ipse codex elegantissime exaratus est in tenuissima membrana et marginibus deauratis. Primae Iuvenalis et Persii litterae auro aliisque coloribus pictae sunt; singularum vero satirarum initiales alternatim minio et caesio colore distinctae. Continet novem quinterniones (quibus singulis in fine sequentis quinternionis primum verbum adscriptum est) cum folio impari. Iuvenalis continetur foll. 1—77; Persius 78—91. Persii verba scatent mendis, nonnunquam monstra exhibent lectionum; multa quidem horum correcta sunt a recentiori manu, sed ne vel sic quidem multum bonae frugis habet hic codex, atque nullius fere est auctoritatis. Passim etiam glos-

sae in margine adscriptae sunt. Non opus putavi omnes eius scribendi aberrationes indicare.

His enarratis quaestio nobis tractanda restat, suntne hi codices iidem quibus usi sunt Nic. Heinsius aliique illustres Batavi, Burmannus secundus et Oudendorpius. Qua de re breviter videamus. Primum animadvertendum, codicem Voss. 2 hoc loco non in censum posse venire, quum non ultra Sat. I, 59 procedat, et unica, quae intra hunc terminum ab Heinsio ex uno codice memoratur lectio, in Leidensi exstet. Deinde e reliquis de Perizoniano Heinsius non potuit mentionem facere tanquam codice bibliothecae Leidensis, propter temporis rationem. Sic tres tantum codices restant, et revera tres codices Leidenses adhibuit Heinsius, ut dicit ad Ovid. Mett. VI, 629; VIII, 647 et Fastt. IV, 721 [1]), quos tamen codices non inter se distinxit. Omnes tamen quas attulit lectiones in laudatis codicibus non inveni. Praestantissima quidem lectio *imitari* (I, 59) exstat in Leid.; *relego* (V, 118) in Voss. 1, qui habet etiam *cum* (I, 74). Praeterea omnes nostri habent *palilia* (I, 72) et *fumosum* (VI, 70). Aliae vero, quas ex codicibus Leidd. citavit lectiones in iis non exstant. Ita in nullo offendi *quam* neque *dictatorem* (I, 74); in nullo *ebullet patruus* [2]) (II, 10), quod

---

[1]) Horum locorum non memor fuit Iahnius quaestionem movens, num Heinsius pluribus uno usus esset codicibus Leidd., in cens. l. pag. 1106, nota.

[2]) Iahnius, cui hanc aliasque Heinsianas lectiones debeo, non animadvertit Heinsium etiam *patruus* ex duobus afferre codicibus.

» in duobus veterrimis ac optimis codd." invenit Heinsius; neque ullus exhibet lectionem *fissilis* (V, 148). Deinde lectionem quam memoravit Burmanus *plēctoria* (IV, 25), habet noster Leidensis, in quo lineola tamen a sec. manu addita est. Denique *gannit* (V, 96) quod Oudendorpius in quatuor codicibus se vidisse dicit, tantum exhibent Voss. 1 et Periz. Mirum tamen foret si tres codices, quibus tantum usus est Heinsius, non iidem fuerint quos eo tempore in bibliotheca L. B. affuisse certum est, quum de aliis nihil constet; accedit, quod Oudendorpius quatuor codices memorat eo tempore, quo Perizonianus iam bibliothecae accessisse potuit. Quum praeterea viri docti non raro tantopere fallantur in codicum lectionibus indicandis, equidem non dubito, quin Heinsio quoque et Oudendorpio aliquid humani acciderit. Similiter in antiquae Vitae recensione postremus non diligenter indicavit omnes codicum Leid. et Voss. lectiones unde etiam Iahnii collatio minus accurata est et non immunis erroribus, quamobrem novam quam institui collationem satirarum collationi subieci.

In Heinsii animadversione ad Petron. c. XLII in prima edit. Burm. qua usus sum, non legitur *ebullet*, ut Iahn. ex altera affert et exstat in animadversione ad Ovid. Trist. III, 5, 39, sed *ebullit*, quam lectionem revera exhibent codd. Leid. et Voss. 1.

VARIAE LECTIONES.



Prol.

INCIPIT PROLOGUS PERSII L. v. 1. *ec fonte labra* om. V 1. *pollui* L. v. 2. *precipiti* V 2. *parnasso* L. *pernaso* corr. P. v. 3. *Meminime* L. V 2. *Memini me* V 1. 3. *poeta* supr. a 2 m. V 3. *prodierim* L. V 1. *prodire* (add. *m* 2 m.) V 2. *prodirt* P. v. 4. *Aeliconiadasque* V 1. *Aeliconiasdasque pallidam pyrenen* V 2. *Heliconiadas palidamque pirenen* (corr. *pyr.*) P. v. 5. *remitto* L. V 1. *images* V 2. v. 6. *Hedere* V 1. v. 8. *psytacho* L. *psytaco* V 1. *psitaco* V 2. P. *psitato* V 3. *chere* L. V 1. P. *kere* V 2. *here* (c supr.) V 3. In eod. cod. seq. h. l. *Corvuos quis olim concavum salutare* v. 9. *Picamque* V 2. Seq. in L. *Corvos quis olim* cet., sed cum linea traducta a 2 m. v. 10. *ingeniique* L. V 1. 2. 3. P. v. 12. *refulgeat* V 2. v. 14. *pegaseum* L. V 2. 3. *per pegaseum* V 1. P (corr. prim. voc. P.). *melos* L. V 1. 2. 3. P. *EXPLICIT PROLOGUS PERSII* L.

Sat. I.

INCIPIT LIBER PERSII L. *INCIPIT AULIS PERSII FLACCI SATIRA PRIMA* V 1. v. 1. *O* in init. om. V 2. *est* add. 2 m. P. *in* add. 2 m. V 1. v. 2. *et min tu istuc* (*et* corr. a 1 m.) P. v. 4. *Nec* V 3. *Non* corr. P. *michi* V 1. *polidamas* L. V 1. 2. 3. P (corr. in *Pul.* P.). *nec troadas* (corr. *des*) V 3. *troades* (corr. *troiad.*) P. v. 5. *Pretulerint* L. V 1.

Pertulerint corr. P. *nuge* L. *si qui* V 3. v. 6. *examenque* V 2. P. *inprobum* V 1. v. 7. *quesieris* L. V 1. v. 8. *rome* V 1. *est* om. V 3.; transf. a 2 m. P. *ha* V 3. *at* P. v. 9. *Tum* V 2. *cum* om. V 1. *caniciem* V 1. *canitiem* V 2. v. 10. *Aspexi* L. V 1. 2. *quecumque* L. V 1. v. 14. *animo* V 2. *prelargus* L. *plargus* (in ras. *p*) V 1. *anelet* V 1. *anelet* V 2. v. 15. *pexust*. P. v. 16. *tandem natalicia* V 1. *natalicia* (corr. *tia*) P. *sardonice* L. V 1. 2. 3. P. v. 18. *corruerint* V 3. *colluerit* P. v. 19 *more bono* V 3. *nec voce* V 1. 2. 3. P. v. 20. *Ingentes* (ras. inter *n* et *g*) V 1. *Ingentes* (corr. *teis*) P. v. 21. *viscera* V 3. v. 22. *Tum* (post. crus pene eras.) V 2. v. 23. *hohe* L. v. 24. *Quo* (post o eras. *i*) L. *Quid* V 1. 3. P. *Quod didicisse* (ras. inter *ss*) V 2. v. 25. *exigerit* (*g* pene eras.) V 2. *exuerit capificus* V 3. v. 27. *nichil* V 1. 3. v. 28. *Et* L. *pulcrum* L. V 3. *montrari* V 2. v. 29. *cinnatorum* corr. P. v. 30. *nichilo* L. V 1. 3. v. 31. *narrant* corr. a 1 m. V 2. v. 32. *circa* P. *yiacinthina* L. *yiccintina* V 1. *yacinctina* V 2. *iactintina* V 3. *iacintina* P. *lena* L. V 1. v. 33. *quidam* corr. V 3. v. 34. *Phillidas* L. V 1. 3. *Philidas* (corr. *Phyl.*) P. *ypsipilas* L. *hipsipilas* V 1. *ypsiphilas* V 2. *ysiphilas* V 3. *ipsiphilas* (corr. *hypsipilas*) P. *et plor.* in ras. V 2. v. 35. *Cliquat* L. *subplantat* V 1. *suplantat* P. v. 36. *nunc nunc* V 2. P (corr. P.). v. 37. *nunc* corr. P. *inprimit* L. V 2. *primit* corr. P. v. 38. *non nunc* V 2. *nunc nunc* corr. P. v. 39. *Nonc* a 1 m. V 2. *Nunc et* corr. P. v. 40. *nascuntur* L. v. 42. *credro* V 2. v. 43. *cumbros* V 3. *thus* V 3. P. v. 44. *o homo* V 2. *obicere* P. *fas est* V 2. v. 45. *ablius* V 1. *captius* V 2. v. 46. et 47. transpp. V 2. *est* add. 2 m. P. *abtius* V 1. v. 47. *enim* om. P. *michi* V 1. *est* add. 2 m. P. v. 48. *extremum esse* P. v. 49. *et* om. P. *hoc et exc.* P. v. 50. *allii* L. *accii* V 3. *est hic — Acti* (corr. *Acci*) P. v. 51. *elegida* (corr. *dia*) P. v. 52. *letis* corr. P. v. 53. *citritis* corr. P. v. 55. *amo et verum* P. *michi* V 1. *dicito* V 3. P. v. 56. *nunc tibi* P. v. 57. *aliqulus* a 1 m. V 2. *sexquipede* L. V 1. 3. P. *extet* L. V 1. 2. v. 58. *pinxit* V 3. P. Ab hoc v.

usque ad v. 62. in V 1. adscr. *PAREN — TESIS.* v. 59. *imitata est* V 1. 2. 3. P. *nobilis* (corr. *mob.)* V 3. P. Desinit V 2. v. 60. *tantum — quantum* V 3. *siciat* V 1. P. *appula tantum* P. v. 61. *patitrius* L. v. 62. *coeco* L. *posite ocurrite samne* (in mg. *posticae*) P. v. 63. *est* add. 2 m. P. v. 64. *scceveros* P. v. 66. *Nec — siculo* a 1 m. L. *hanc* (corr. *ac*) P. *dirigit* corr. V 3. v. 67. *et prandia* L. V 1. *in pr.* (corr. *et*) P. v. 69. *Eecce* L. *eroas* corr. 1 m. V 1. *docemus* L. V. 70. *grece* L. V 1. *lucum* (*c* in ras. mai. spat.) V 1. v. 71. *orbes* corr. P. v. 72. *focus* (ras. int. *o* et *c*) V 1. *porci f.* P. *foeno* L. *feno* V 1. v. 74. *Quem* L. V 3. P (P. a 2 m. supr. *cum*). *Cum* (a 2 m. corr. *quem*) V 1. *dictaturam* L. V 1. 3. P. v. 75. *Et cum* (a 2 m. corr. *tua*) V 1. *eoge* P. v. 76. *brisei* L. V 1. 3. P. *vinosus* V 3. *accii* L. P (P. *ii* ex corr.). *acci* V 1. 3. v. 76. *verrutosa* corr. V 3. *verucosa* P. v. 78. *Anthyopa* L. *erumpnis* V 3. *lutificabile* P. v. 80. *quaresne* corr. a 1 m. L. *querisne* V 1. v. 81. post *linguas* seq. *unde — loquendi*, sed alt. supr. P. v. 82. *Trosulus* V 3. *Trosilus* corr. in mg. P. *exultat* L. V 1. *subselia* P. v. 84. *obtes* V 1. v. 86. *antitetis* V 3. *antictetis* P. *poluisse* corr. V 3. v. 87. *Laudatus bellum hoc b.* L. *bell. hoc bell. h.* V 1. P (corr. P.). *bell. hoc bell est* V 3. *remule* corr. V 3. v. 88. *et* add. 2 m. P. v. 89. *frata* L. *fracta cum te trabe* corr. P. v. 90. *umero portas* L. v. 91. *querelis* P. v. 92. *addita* (corr. *abd.*) P. v. 93. *didicit versum* V 1. *berecinthius* L. V 1. *berecintius* V 3. *bericinthius* (corr. in *cyn*) P. *atin* L. *atis* corr. V 3. *atis* (corr. in *Atys*) P. v. 94. *cerul.* L. V 1. *delphi* L. *delfin* V 1. v. 95. *Sic* (corr. in *si* et rurs. denuo in *sic*) P. *appennino* V 1. 3. v. 96. *hoc* add. 2 m. P. *et* om. V 3. v. 97. *pregrandi* L. V 3. P (P. in mg. *vegr.*). *p̄ grandi* V 1. v. 99. *mimill.* V 3. *mimal.* corr. in mg. P. *bonbis* V 3. v. 100 *caput vitulo* V 1. v. 101. *lincem menas — corimbis* L. V 1. v. 102. *Euhion* L. V 1. *Euchion* V 3. P (corr. P.). *assonat* L. V 1. *ecco* V 3. *equo* (corr. in *echon*) P. v. 104. *de lumbe* P. *salina* corr. V 3. v. 105. *est* add. 2 m. P. *menas* L. V 1. *atis* corr. P. v. 106. *Hec* V 3. *cedit* L. V 1.

demorsos (corr. *demers.*) P. v. 107. *vere* corr. P. v. 109. *hoc* corr. P. v. 110. *sunt* V. 3. v. 111. *omnes — mire* L. *omnes per me bene mire* (corr. 2 m. *per me* in *omnes*) P. v. 112 *hicin* [est] *quis* V 3. *iniquis* P. *olentum* corr. P. v. 114. *Meile* L. V 1. P (P. corr. in mg.). *Migite* [e] (in mg. *meite*) V 3. v. 115 *muti* V 1. v. 116. *vicium* V 1. v. 117. *precordia* L. V 1. v. 119. *nephas — nec strobe* corr. P. *scbe* [o] V 3. v. 123. *quicumque* V 1. *cratinno* corr. V 3. v. 124. *pregr.* L. V 1. *pgrandi* [ras] (in mg. *vegr.*) P. *pales* corr. P. v. 125. *Aspice* L. V 1. *hoc* V 3. v. 126. *michi* V 1. v. 128. *poscit discere* V 3. v. 129. *aliquem* supr. *aliquid* P. v. 130. *eminas* L. V 1. 3. P (corr. P.). *areti* L. V 3. *arecti edibus inquas* corr. P. v. 131. *a baccho* corr. P. *seto* corr. P. *in* om. V 3. v. 132. *laudare* V 3. v. 133. *cinico* L. V 1. *barba* V 1. *novaria* corr. P. v. 134. *caliroen* P.

Sat. II.

HANC SATIRAM SCRIBIT AD PLOTIUM MACRINUM DE BONA MENTE L. *LIBER II AD PLOTIUM MAC̄. DE HONESTATE VITAE* V 1. v. 1. *meliora* corr. a 1 m. L. v. 5. *Et* P. *libavit* V 1. *libant* (corr. *avit*) V 3. v. 6. *Haut* L. V. 3. *cuius* L. P. *promtum* L. V 3. *est pr. murmur h.* P. *humiles s.* V 3. v. 8. *dic clare ut* P. v. 9. *murmurat* L. V 1. 3. P. v. 10. *Ebultit* L. V 1. *Ebuliat* V 3. P. *patrui* L. V 1. 3. P. *faunus* P. *o li* V 3. v. 11. *crepent* P. *michi* V 1. v. 12. *Hercle* P. *haeres* V 1. v. 13. *Inpello* L. V 3. *expugnam* V 3. *expungar* P. *nam hic est* L. *nam et est* V 1. *est* om. V 3. v. 14. *Bille* P. *tercia* V 1. *conditur* L. V 1. 3. P. v. 16. om. a 2 m. add. V 1. v. 17. *nimium* V 3. P. *est* om. P. v. 19. *cuiquam c.* V 3. P. *stagio* V 1. *taio* V 3. *statuo* P. *heres* L. V 1. v. 20. *pocior* V 3. P. v. 21. *inpellere* L. V 3. *temptas* L. V 1. P. *tempas* V 3. v. 22. *stadio* V 3. *statuo* P. *pro* L. V 1. *clamat* P. v. 23 *an* corr. a 1 m. L. *clamet non* V 1. In V 3. hic et seq. v. transpp. v. 24. *otius* L. *ylex* P. v. 25. *sulphure* L. V 1. *fulgure* V 3. v. 26.

ergenaque P. v. 29. *est* om. *quam* corr. V 3. v. 30. *an lacibus* corr. in mg. P. v. 31. *THEMA DE SUPERSTITIONE* V 1. *autem* P. v. 32. *fontemque* P. v. 35. *Tunc Lic.* L. *edes* L. *hedes* V 3. v. 37 *optent* V 1. 3. P. v. 38 *hinc rosa* V 3. *flet* V 1. P (V 1. corr. a 1 m). v. 39. *ege* corr. V 3. v. 42. *pingues* V 3. P. *patenae tuccetaque* L. *tucceta* V 3. v. 44. *optas* P. *ceso* L. v. 45 *Aarcessis* L. *Accersis* V 3. *Acersis* P. *fibras forutunate* V 3. v. 46. *egregibus* L. *foetum* L. V 1. v. 47. *cum iunicum in flammas* P. v. 48. *At tamen* L. V 1. 3. v. 49. *crescet ov.* P. v. 50. *am dab.* V 1. *expes* L. V 1. v. 51. *Nequiquam* L. V 1. *Necq.* V 3. *fondo* V 1. v. 52. *incussaque* L. V 3. P. *incusaque* a 2 m. V 1. v. 53. bis *sudes* P. *corpore* V 3. *levo* L. v. 54. *excutias* (*a* a 1 m. in *e* corr. et a 2 m. *t* adscr.) L. *Excutiat* V 1. *Excucias* P. *letari* L. *praetepidum* V 1. 3. v. 57. *mittant* P. v. 58. *Precipui* L. V 1. *sumpto* P. v. 59. *nimie* P. *saturnique* (vel a) V 3. *inpulit* L. *extra* V 3. v. 60. *tustum* corr. V 3. v. 61. *caelestium* L. V 1. *EXCLAMAT.* V 1. v. 62. *hos* L. V 1. 3. *nostris* L. *inmittere* L. V 3. v. 63. om. a 2 m. in mg. add. V 3. *diis* V 1. 3. P. *dupla* P. *ALIUD THEMA INCHOAT* V 1. v. 64. *cassiam* P. v. 65. *viciato* V 1. v. 66. *bacam* L. V 1. *bacham* V 3. *bachani* P. v. 68. *vicio* V 1. v. 69. *templo faciat* V 3. v. 70. *virgine pupae* corr. a 2 m. L. *puppe* P. v. 72 *messalae* L. V 1. 3. v. 73. *animi* L. V 1. 3. P. *sanctusque* corr. a 1 m. L *sanctos recesos* V 3. v. 74. *incomptum* V 3. *honestum* P. v. 75. *caedo* L. *hecce do* V 3. *celo ut* — *litato* P.

Sat. III.

IN LUXURIAM ET VITIA DEDITUM L. *LIBER SAT. III. ALLOQUITUR DESIDIOSOS* V 1. v. 1. *Sempē hoc* P. *liam* L. *tam* V 3. *mane intrat* (*intr.* eras.) L. v. 2. *ostendit* L. V 1. 3. *limine* corr. a 1 m. L. v. 3. *indomitumque desp.* corr. P. *dispumare* V 1. v. 4. *iam lin.* V 3. v. 5. *UNUS AIT COMITUM* add. a 2 m. V 1. v. 6. *pacula* P. *omne* add. a 2 m. V 1. *ulmō* corr. P. v. 7. *otius assit* L.

V 3. v. 8. *nemo?* L. v. 9. om. in mg. a 1 m. V 3. *finditur* V 3. *archadie* L. P. *archadiae* V 1. 3. *credas* V 3. v. 10. *bicolor positis* L. V 1. 3. P. v. 11. *kartae* L. *cartae* V 1. *carte* V 3. *carthe* P. *harundo* L. V 3. v. 12. *Tum* V 1. $\overset{tur}{\textit{querimur}}$ corr. a 2 m. L. *calamoque p.* P. v. 13. $\overset{a}{\textit{venescat}}$ L. *vanescit* V1. *vanescant* P. *limpha* L. V 1. 3. v. 14. $\overset{t}{\textit{querimur}}$ corr. a 2 m. L. *geminum* P. *cur* corr. a 2 m. V 1. v. 16. *pocius teneorque* P. *palumbo* V 3. P. v. 17. *similes* corr V 3. *pappare* V 3. P. v. 18. *lalalare* P. v. 19. $\overset{u}{\textit{stedcam}}$ a 1 m. L. *chalamo* V 3. *quid* V 1. v. 20 *efflueis* corr. V 3. *effluit* P. *Contempnere* L. V 1. *sonat* in mg. V 3. *vicium* V 1. v. 23. *mole* P. v. 24. *ruere* P. v. 28. *Stemate* P. v. 29. *Censoremque* V 3. *Concessoremve* P. *qūi* V 3. v. 30. *ego intus in cute* P. v. 31. *nate* V 3. *nacte* P. v. 32. *vicio* V 1. v. 34. *rursus non bulit* P. v. 35. *sevos* L. *magnos* V 3. *scevos* P. *tirannos* L. V 1. 3. v. 36. *Haut* L. v. 39. *seculi* corr. P. v. 42. *si* om. P. v. 43. *quid* V 1. v. 44. *Sepe* L. v. 45. $\overset{i}{\textit{moriluro}}$ L. v. 46. *dicere* L. *et insano* V 1. *ab insano* V 3. P. v. 48. *quod* V 1. 3. *feret* P. v. 49. *dampnosa* V 3. *damniculosa* P. v. 50. *Redderet* P. v. 52. *Haut* L. *deprehendere* L. V 1. v. 53. $\overset{t}{\textit{docen}}$ a 1 m. V 1. *braccatis* L. V 1. *brachatis* V 3. P. *inlita* V 1. v. 54. *in somnis — dentosa* P. *dedonsa* corr. V 3. v. 56. *deduxit* V 1. P (corr. P.). v. 59. *esternum* L. v. 60. *in quo* L. V 1. 3. P. v. 62. *vivus* P. v. 63. *Elleborum* L. V 1. *timebit* corr. V 3. v. 64. *vehementi* corr. P. *occurrite* (*ite* in ras.) L. *ocurr.* P. v. 66. *Discite* (*s* add. a 2 m.) L. *at o m.* P. v. 76. *aut q.* L. V 1. P. v. 68. *aut* om. P. *quam* L. V 1. 3. P. v. 71. *te* om. P. v. 73. *nec* V 3. P. v. 74. *pene* corr. V 3. v. 75. *spernae* (*s* eras.) L. *monimenta* L. V 1. 3. v. 76. *Menaque* L. V 1. *nundum — orcha* P. v. 78. *quod sapio satis est mihi* V 3. *michi* V 1. v. 79. *Archesilas* L. V 1. 3. P. *erumnosique* L. *aerumpnosique* V 1. *Salones* L. V 1. 3. v. 80 *fingentes — terras* P. v. 81. *radiosa* e corr. V 3. v. 82. *truciantur* corr. P. v. 84. *nichilo nichil in nichilum* V 3. v. 86. *thorrosa* V 3. *rorosa* P. v. 87. *cachimnos* V 1. *ALIUD THEMA INCHOAT*

V 1. v. 88. *egris* L. *ingens* P. v. 89. *exupcrat* L. V 3. *exuberat* V 1. P. *alitus* L. V 1. P. v. 90. *medico iussus* (ras. inter haec vocc.) L. *iussus est req.* P. v. 91. *tercia* V 1. v. 92. *lagoena* L. *lagenda* V 3. *siciente* V 1. v. 93. *lema* P. *syrentina* L. *surentina* V 1. *surrentine* P. v. 94. *nichil* V 1. 3. *nisi est* P. v. 95. *michi* V 1. *mihi* supr. ras. V 3. v. 97. *sepelii* L. V 3. *sepelli* P. v. 98. *levatur* P. v. 99. *sulphureas* L. V 1. 3. *exalante* L. V 3. P. *exalente* V 1. *mefites* L. V 1. v. 100. *trientem* L. V 1. 3. P. v. 101. *ē* V 3. v. 102. *lassis* P. v. 104. *lutatus* P. v. 105. *rigidas extindit* L. v. 106. *Esterni* L. v. 107. *v. appone* P. v. 108. *adtende* L. V 1. v. 112. *holus* L. V 3. *dissussa* V 3. *INVITANTIS VERBA MEDICI* V 1. v. 113. *temptemus* L. V 1. 3. P. v. 114. *Haut* V 1. 3. v. 115. *tumor altus* postr. corr. P. v. 116 *subposita* V 1. 3. v. 118. *horestes* L. V 3. P.

Sat, IV.

DE HIS QUI AMBIUNT HONORES ANTEQUAM AD ETATEM PERVENIUNT L. *DE HIS QUI AMBIUNT HONORES* V 1. v. 1. *hoc* P. v. 2. *Licere* corr. V 1. *Discere* V 3. *sorbicio* V 1. 3. *dura* L. v. 3. *o magni* L. *hoc magni* V 3. v. 5. *tatendaque* V 3. v. 6. *plebicula* V 1. *pleblecula* corr. V 3. v. 8. *loqueris* V 3. v. 9. *puto* L. V 1. 3. P. *istud* V 1. 3. P. v. 12. *varo* (inter *a* et *r* litt. eras.) V 1. *est* V 1. P. *vicio* V 1. v. 14. *nequiquam* L. V 1. v. 15. *Aante* L. v. 16. *anticiras* L. V 1. *antyciras* V 3. *auticeras* P. *sorbire menacas* V 3. v. 19. *Expecta* L. V 1. *haut* L. V 3. *in hunc* V 1. *i nunc* om. P. *PERSIUS* V 1. v. 20. *Dinochames* L. *Dinomiaches* V 3. *esto* om. P. v. 21. *Cum non* V 1. *Dum non* P. *pannutia* L. *pannucea* V 1. *pannosea* V 3. *panucea* P. *bautis* V 3. v. 22. *ozima* L. V 3. *ohima* V 1. *occima* P. *POETA EXCLAMANTIUS SILET DICIT* V 1. v. 23. *Et* a 1 m. L. *temptat* L. V 1. 3. P. v. 24 *antica* (corr. supr. ras.) V 3. v. 25. *quesieris* L. *vetidi* L. V 1. 3. *vectidi* P. *predia* L. v. 26. *erat* V 3. *cu ribus* ras. V 3. *oberrat* V 1. 3. P. v.

27. *diis* L V 1. 3. P (in L. alt. *i* eras. in V 3. corr.). v. 28. *qnque* P. v. 29. *seriole* V 1. *veteris* V 3. v. 31. *farrata — olla* (linn. a post. m.) L. *cepe et* [a] *ferratam* V 1. v. 32. *fecem* L. V 1. v. 33. *Et si* L. P. (in L. corr. a 2 m.) [r] *figas* a 2 m. L. v. 35. *Respuat* L. *Disputat* P. *hi mores* L. V 3. *archanaque* L. V 1. 3. P. v. 36. *pandere p. l. vulvas* a 1 m. P. *PERSIUS AD VOLUPTUOSUM* V 1. v. 37 *balantum* corr. V 3. v. 38. *extat* L. V 1. v. 39. *vellent* L. v. 40. *Elisasque* P. *forpice* P. v. 41. *Etamen* corr. a 2 m. L. *filex* V 1. v. 42. *Cedimus* L. v. 43. *movimus* P. v. 44. *Cecum* L. *baltheus* L. V 3. v. 45. *Pretegit* L. V 1. *Prot.* V 3. P. [v] *magis* V 1. v. 46. *aegregium* V 1. *VOX ILLIUS QUI REPREHENDITUR SIMULATIUS* V 1. v. 48. *poenem* L. *impenem* P. *amarum* L. V 1. P. [vel arum] *amorum* V 3. v. 49. *vivice* corr. a 2 m. L. v. 50. *Nequiquam* L. V 1. *donaverit* corr. a 2 m. L. v. 52. *ut noris* V 3. *et noris* P. *turta* V 3. [p l] *supelex* corr. a 1 m. V 1.

Sat. V.

AD ANNEUM CORNUTUM STOICUM CUIUS FUIT AUDITOR L. *SATIRA II. AULIS PERSII FLACCI AD CORNUTUM ANNIUM STOICUM CUIUS FUIT AUDITOR* V 1. v. 2. *et linguas* (bis sed corr.) *obtarc* V 1. *carmine* L. V 1. v. 3. *mesto* L. V 1. *hyanda* V 3. v. 4. *parchi* V 3. *inquine* corr. a 1 m. V 1. v. 6. *aut per sit* P. v. 7. *locuturis* P. *helycone* V 3. v. 8. *progenies* V 3. *thiestae* L. *thieste* V 1. v. 9. *sepe insulco* L. *cenanda* L. V 1. *glicone* V 1. P. v. 10. [ne] *Tuque* L. *hanhelanti* V 3. *hanelanti* P. *quoquitur* V 3. v. 11. *ne* P. v. 13. *stlopo* V 3. *scloppo* P. *irumpere* P. v. 15 *teris* L. V 1. 3. P. *ingenio — defendere muco* corr. P. v. 17. *Huic* corr. P. *dicis* L. V 1. *micenis* L. V. 1 v. 18. *capite o et* corr. a 1 m. P. *plebeia pr.* L. *CORNUTUS* V 1. v. 19. *bullatis* V 3. P. [ichi] *mag* V 1. v. 21 *ortante* L. *PERSIUS* V 1. v. 22. *excucienda* P. v. 23. *cornutae* V 1. *amite* corr. P. v. 24. *ondisse* P. *dinoscere* L. V 1. <u>*disce*</u> *dinoscere* V 3. v. 25 *picte plectoria* (ras. inter *i*

et *c;* lin. a 2 m.) L. *plectoria* V 1. v. 26. *Hic* L. P. *Hin*[e] V 1. *depromere* L. v. 27. *Et* corr. a 2 m. L. *michi* V 1. *in* om. P. v. 28. *ut verba* V 3. v. 29. *Quid* P. *archana* L. V 1. 3. v. 30. *michi* V 1. *PERSIUS* V 1. v. 31. *sunccinctis* V 1. *succintis* P. v. 32. om. P. v. 33. *spersisse* P. v. 36. *seposui* (ub) L. *subposui* V 1. *suspicis* corr. in mg. P. v. 37. *Tum* supr. ras. V 3. *Tunc* P. *solers* P. 38. *Adposita* V 1. *extendit* (corr. *ostendit*) P. v. 42. *epulas* corr. V 1. v. 44. *verecundiam* (corr.) *tassamus* P. v. 46. *dices et* P. v. 47. *Nnostra* L. *pondera* P. v. 49. *facta* P. v. 50. *nostroque — via* P. v. 51. *Nescio quid — austrum* P. v. 55. *cymini* V 1. v. 56. *inriguo* (r) V 1. V. 57. *Hii — indulgent — alea* (corr. ex *alia* a 1 m.) *dequoquit* L. v. 58. *venere* V 1. *ventrem* V 3. *ciragra* V 3. *dragra* P. v. 60. *palestrae* (u) (corr. a 2 m.) V 1. v. 61. *miseri* V 3. In eod. cod. hic et v. anteced. in mg. *sero — gemuere* P. v. 62. *te diversi nocturnis* V 3. *inpall.* L. *kartis* L. *cartis* V 1. 3. P. *AD CORNUTUM* V 1. v. 64. *cleantea* V 1. *cloantea* V 3. P. *puerique* V 1. *petite iuvenesque senes hunc* P. v. 65. *cannis* V 3. v. 66. *quod* L. *quasa corr.* V 3. *NEGLEGENTIS VOX* V 1. v. 68. *esternum* L. *externum* (h s) a 1 m. P. *consumpsimus* L. V 1. 3. P. v. 69. *hoc* (corr. et suprascr. *hos*) V 1. v. 71. *cantum* V 1. *catum* P. v. 72. *axe sero* P. v. 73. *quam quisque* P. v. 75 *heu* (corr. ex *hui* a 1 m.) L. *POETA* V 1. v. 77. *Vappa et lippus* V 3. *et lipus — faragine* P. v. 78. *temporis* L. V 1. 3. P. v. 79. *Marcus* V 1. *damma* V 1. 3. *pape* L. V 1. *marcho* V 1. v. 80. *marcho* V 1. v. 81. *Marchus. assigna* L. P. *asigna* V 3. v. 82. *hanc n.* V 3. *hec n.* P. *pillea* L. V 1. 3. *ALTER QUI CRAS HOC FIET RESP.* V 1. v. 83. *vittam* V 3. v. 84. *ut libuit* V 1. 3. *sim* L. v. 85. *bruto? PERSIUS mendose PERSIUS coll.* V 1. v. 86. *locus* P. *acoeto* L. V 1. v. 87. *ut* om. P. v. 89. *Cor* P. *michi* V 1. *leceat* corr. V 3. *queccunque* P. *voluptas* V 3. v. 90. *masuri* (unius litt. ras. inter *a* et *s*) L. *masura* (*vel masuri*) V 1. *mansuri — notavit* P. v. 91. *PERSIUS* V 1. v. 92. in mg. V 3. *revellam* P. v. 93. *pretoris* V 1. *dare* in ras. L. v. 94.

offitia L. v. 95. *cicius* L. *sanbucam* V 3. v. 96. *Sta — secreta* P. *gannit* V 1. P. *aure* P. v. 97 *viciabit* V 1. P. *viciavit* V 3. V. 100 *dilluis* P. *elleborum* L. V 1. 3. P. *composcere* corr. a 1 m. L. v. 102. *navem* L. V 1. 3. P. *perornatus* V 3. *perponatus* P. v. 103. *exclamat* V 1. 3. P. v. 105. *dinoscere* L. V 1. 3. v. 106. *sub errato — timeat* P. v. 107. *et quae* V 1. *et que* V 3. P. *vitanda* L. V 1. 3. P. v. 108 *hic* a 1 m. L. v. 109. *Est* (*t* eras.) V 1. v. 110. *astringas* L. V 1. P. *astringis — laxas* V 3. v. 111. *potis es* V 3. v. 112. *Ne* P. *glutto* L. *sorbire* V 3. v. 114 *pretoribus* L. v. 116. *retinens* L. V 1. v. 117. *servans* L. *servuas* V 3. v. 118. *repeto* L. P. v. 119. *exere* L. V 1. *VOX CULPATI* a 2 m. V 1. v. 120. *thure* V 3. P. v. 121. *Hereat* L. V 1. *et semicintia* L. *ut semuncia* V 3. P. v. 122. *Hec* V 1. *nephas* P. *cetera* L. V 1. v. 123. *Tres* L. V 3. *satiri* L. V 1. *batilli* L. V 1. 3. P. *VERBA SUNT PERSII* V 1. v. 124. *summis* P. v. 125. *Ac* P. *relaxet* V 1. corr. a 1 m. 3. v. 128. *nichil* V 1. 3. *nequiquam* V 1. *etrinsecus* P. v. 129. *egro* L. *et iecore ergo* V 3. v. 130. *quin* L. V 1. *qui tum punitior* V 3. v. 131. *ietus* P. *eritis* L. v. 132. *avaricia eia* V. *heia* L *eya* P. v. 133. *insta* P. *inquis* L. *nequeo* V 1. v. 134. *Quid agam* P. *rogas? en saperdas* L. V 1. *aveche* V 3. v. 135. *Castoerum* P. *hebenum* L. V 1. 3. P. *thus* V 1. 3. P. *choa* L. P. v. 136. *ex sitiente* L. *et siciente* V 1. P. *et si sit.* V 3. *camello* P. v. 137. *audeat eheu* (corr. a 1 m. ex *ehui*) L. *heu heu* V 1. P. *heheu* V 3. v. 138. *gustatum* V 3. v. 139. *si vivere* a 2 m. L. v. 140. *puer is* lin. a 2 m. L. *puer is* V 1. 3. *succintis* V 3. P. *enoph* V 1. v. 141. *Otius* L. V 1. *navim* V 1. 3. P. *nichil* V 1. 3. *trabe fracta* V 3. v. 142. *Aegeum* L. V 1. *soleris* P. v. 143. *moveat* V 3. P. *quod deni* corr. P. v. 144. *libis* P. v 145. *extinxerit* L. *extincxerit* V 1. v. 146. *Cum* P. *transilias* L. V 1. 3. P. *torto* V 3. *canabe* P. v. 147. *Caena* L. V 1. *veietanumque* L. P. *vegentan.* V 1. 3. v. 148 *Exalet* L. V 1. 3. P. *vapidi* V 3. *lesum* L. V 1. *sesilis* P. v. 149. *ut* in mg. —

quicince V 3. v. 150. *peragant* V 3. P. *ambos* corr. V 3. *sudore* L. V 1. 3. P. v. 151 et 152 om. P. v. 153. *loeti* L. V 1. *locor* corr. a 2 m. V 1. v. 154. *dupplici* V 3. *amo* corr. a 2 m. V 1. v. 155. *sub alt.* P. v. 156. *dominus* corr. V 3. *oberret* corr. a 1 m. V 3. v. 157. *cum tu* V 3. *obsistens — instanterque* P. v. 158. *rumpi* L. v. 159. *arripit* V 3. P. *ast* L. V 1. *at* V 3. P. v. 160. *corone* corr. V 3. *cathene* P. v. 161. *iubeo credas* V 3. *fivire* L. *CHERESTRATUS QUIDAM AIT HI FABULAM* V 1. v. 152. *Preteritos moveor* ult. corr. a 1 m. V 1. *cherestratus* V 1. 163. *adrodens* L. V 1. 3. *hoc* V 1. 3. *sicis* P. v. 164. *et rumore* P. v. 165. *obscenum* L. V 1. *crisidis* L. V 1. 3. P. *lidas* P. v. 165. *Aebrius* V 1. *Ebrevis* P. *extincta* L. V 1. v. 167. *diis* V 1. 3. (corr.) P. v. 161. *sed* om. P. *cessen* L. *cense* P. v. 169. *DAVUS AD HORESTRATEM* V 1. v. 170. *Nec* P. *trepidar* . . . . . *trepidare* V 3. *arctos* P. *rodere* V 3. v. 171. *fevus et violeis et vocet* P. *haut* L. v. 172. *ne* om. P. *arcessat* L. *arcessor* V 1. P. *accersior* V 3. v. 174. *exieras* a 2 m. corr. L. *Exieris* P. *ne tunc* corr. a 2 m. L. *non nunc* V 3. *nunc nunc* P. *hic hic est q.* V 3. *quod querimus* L. V 1. (L. corr. *quem*). v. 175. *quā* lin. a 2 m. L. *quod* V 2. *iactus* P. V. 176. *dicit* P. v. 177. *Crenata — vigilia* P. v. 178. *possunt* corr. V 3. *possit* P. v. 279. *ac* P. v. 181. *Disposite* L. *novere lacerne* P. v. 183. *thinni* V 1. *tinni* V 3. P. v. 184. *mones — recucitaque· sab.* P. v. 185. *Tunc* P. *cum* V 3. v. 186. *Num* P. v. 188. *Predictum* L. *Praedicta* corr. a 1 m. V 1. *Prodictum* P. *allii* V 1. 3. v. 190. *crassumque vulvenius* P. *phulfennius* L. v. 191. *Ct* L. *grecos* L. V 1. *centuse* L. *licet.* P.

Sat. VI.

AD CESIUM BASSUM LIRICUM POETAM L. *ODA V. AD CESSIUM BASSIUM IN QUA ALLOQUITUR ET OSTENDIT EUM ESSE LIRICUM ET POETAM* V 1. v. 1. *focu* corr. a 1 m. L. *o basse* V 1. v. 2. *lira — pectinae* V 1. *cordae* L. V 1. v. 3. *opi-*

pex —venterum corr. V 3. v. 5. *Mos* P. v. 6. *Egregius — senex* (corr. a 2 m. et *x* in ras. litt. *s*) L. *Aegregios* V 1. 3. *Egregios* P. *hora* L (*h* eras.). V 3. P (corr.). v. 7. *Intrepet* corr. V 3. *Intipet* P. v. 8. *sopuli* P. *littus* V 3 (corr.). P. *recepit* L. v. 9. *Lunari precium est opere* V. 3. *opere* L. v. 10. *eni — distirtuit* P. v. 14 *pinguior quia* corr. L. v. 15. *horti* V 1 (*h* eras.). P. *recissem* corr. V 3. v. 16. *senio minui* corr. L. *auc* P. *cenare* L. V 1. *victo* P. *Doctus et ad calicem vigilanti stertere naso* (Iuv. I. 57. Cf. Herm. Lectt. Perss. III, 31.) L. v. 17. *vapido* corr. V 3. *lagoena* L. *laguena* V 1. v. 18 *oroscope varro* P. v. 20. *Tinguat* L. V 1. 3. P. *holus* L. V 1. 3. P. *sicrum* P. *empta* L. V 1. 3. P. v. 21. *Ipe* P. *inrorans* L. V. ..... *rans* P. *patine* L. v. 22. *Prandia* L. *magnanimis* V 3. v. 23. *rombos* L. *rumbus* V 3. *rumbos* P. v. 24. *soleris* P. *turdorum* L. P. *nosce* P. v. 25. *granararia* V 3. *lasses* P. v. 26 *Emole quid metuas?* L. *erba* corr. V 1. v. 27. *offitium* L. *trahe* P. *brutia* L. V 1. 3. P. v. 29. *iatet* V 3. *littore* L. V 1. 3. *et* add. 2 m. V 3. v. 30. *pupe* V 3. *rupe* P. v. 31 *latis — vino* P. v. 33. *Cerulea — cenam* L. V 1. v. 34. *Negleget* L. *iratusque rem* P. *quam* corr. V 3. *urve* P. v. 35. *daberit* V 3. *cinama* P. v. 36. *ceraco* corr. V 3. v. 37. *incolomis* L. V 1. *sed* P. v. 39. *pipero* (corr.) *hoc* (eras.) V 3. *expers* (*s* in ras.) L. v. 40. *Foenisecae* L. *fenisecae* V 1. *foenicece* V 3. *feniccse* P. *raso* P. *viciarunt* V 1. *vitiatunt* V 3. *vitarunt — pulces* P. v. 42. *paululum* P. *ALTERA OCCASIO PROFUSIONIS* V 1. v. 43. *cesare* L. V 1. v. 44. *gemane* V 3. *atis* P. v. 46. *clamidas* L. *clamides* V 1. 3. P. *victis* V 1. 3. *pactis* corr. a 1 m. P. v. 47. *Exedaque* P. *ingentes* ..... *que C.* V 3. (suprascr. *donat*) *ingentes que l. c remos* P. v. 48. *diis* V 3 (corr.). P. *ducis* V 3. v. 49. *Aegregie* V 1. v. 50 *Ve* L. *conives* L. V 1. *pepello* corr. V 3. v. 57 *an* om. P. *audeo* L. V 1. P. v. 52. *aget iusta* P. *si mihi si nulla* V 3. *si nisi nulla proneptis* P. v. 53 om. P. v. 54. *sterilis* (suprascr.) *materera* (corr.) V 3. v. 55. *nichilum* V 1. *superest nichil* corr. V 3. *vovillas* V 1. *bovilas* P. v. 56. *Clidumque* P. *Virbii* L. V

3. P. *presto mihi* L. *presto est michi* V 1. *mannius* L. V 1. *nisi mam* P. v. 57. *quere* L. V 1. *michi* V 1. v. 58. *haut* V 3. *promte* L. V 3. *promitte — in unum* P. v. 59. *est etiam* L. v. 60. *Mannius* L. V 1. v. 61. *poscas* L. V 1. 3. P. v. 62. *Cum* corr. L. *invenio* P. v. 63. *rennuis* (1 *n* eras.) *vis* L. v. 64. *sume* L. *michi* V 1. v. 65. *querere* L. V 1. *michi* V 1. *condam* P. v. 66. *tadius* L. V 1. *re pone* corr. a 2 m. L. *oppone* P. v. 67. *sumptus* L. V 1. 3. P. v. 68. *est* .... (ras.) *reliquum* L. *reliliquum* n. V 3. *nunc* semel P. *iam pensius* L. *inpensius un age* V 1. v. 69. *culles* corr. V 3. *coquetur* L. V 1. 3. v. 70. *scissa* P. v. 71. *sat* P. v. 72. *singulciet* V 1. v. 73 *patritiae* L. *inmeiat* L. V 1. *mineiat* V 3. *inmelat* P. *u volve* L. *mihi* in ras. V 1. v. 75. *animā .. pro lucro* V 1. *discute sole* P. v. 76. *nec* L. V 1. 3. P. *prestantior* L. V 1. v. 77. *clausisse* L. *plausisse* V 3. *capadocas* P. v. 78. *michi* V 1. v. 79. *depunge* L. *depingue* corr. a 1 m. P. v. 80. *chrisippe* L. V 1. *crisippe* V 3. P. *EXPLICIT VERSUS DE PHILOMELA* L. *EXPLICIT INTORTUS PER TOTUM PERSIUS ORBEM* V 1. *EXPLICIT LIBER PERSII; FLACCI* V 3. *EXPLICIT* P.

Vita.

INCIPIT VITA AULIS L. V. cet. — *PERSI* L. — *VALERI* L. — *Aules* L. V. — *nōn* L. — *nonarum* V. — *decembris* L. V. — *Lucio Vitellioque* L. V. — *kal. decemb.* L. — *kalendarum decembris* V. — *Rubrio Mario Asinio Gallo* L. V. — *Natus est* V. — *Volterris* L. V. — *miliarium* L. V. — *eum* L. — *fere V.* V. — *Sisenna nupsit* L. V. — *Fusico* L. — *Volterris* L. V. — *Remium* V. — *Palemonem* L. V. — *relhorem* L. V. — *Virgiliū Flaccū* V. — *amicicia* L. V. — *cepit* V. — *Annii* L. — *Annei* V. — *a quo* om. L. V. — *adulescentia* L. — *Cesium Bassium* L. — *cessium* V. — *Calphurnium* L. — *Calpulmum Straluram* V. — *ut* om. L. — *Nomianum* L. — *Numanum* V. — *Cornutam* L. — *Anneum* L. — *Anneum etiam* V. — *equitum* L. — *aequevum* V. — *poeticae* L. V. — *reliquid* L. — *mirabatur adeo* L. — *se retineret recitantem clamore quae illa*

esse vera ipsa poemata ipse luto facere L. — *retineret se recitantem clamore quin illa esse vera poetica diceret* V. [1] — *ut non eius cap.* V. — *tunc* om. V. — *Agaturrhini* L. — *Agaturrini* V. — *lacedemonii* L. V. — *Petroni Aris tote gratis* L. — *Aristole gratis* V. — *unicae* L. V. — *emulatus* L. V. — *equales* desinit V. — *et* om. — *Ipse idem* — *apetithrasea* — *famae pulch.* — *et* om. — *sestercias vities* — *tantum* — *sertercias* — *centies* — *et arg.* — *septigentos crisippi* — *scripsit* om. — *ibi ut quasi finitum* — *contractavit* — *Cessio* — *ipse ederet* — *etiam* post *Flaccus* — *opericon* — *sororum Thrasiae* — *aborteret* — *scola* — *Lucilii libro* — *satyras* — *principium* — *detractatus* — *recencium* — *principem* post *temporis* — *inculpaverit* — *haberent* — *ne hoc in se Nero ductum* — *EXPLICAT VITA PERSI FLACCI.*

---

[1] Hoc loco codices confudit Oudendorpius et inde etiam Iahn. et Duentz.

ANIMADVERSIONES

IN

AULI PERSII FLACCI SATIRAS.



In Prologum.

1. *Nec fonte labra* cet.] Hunc versum, in quo maximus omnium codicum [1]) est consensus, quemque omnes quotquot fuere intactum reliquerunt interpretes, nuperrime sollicitavit Hauthalius [2]) legens: *Nec fonte labra, pro! lui caballino.* Putat nimirum ex usu latinae linguae verbum *proluere* potius requirere *fontem labris* quam *fonte labra.* Sed priorem verbi *proluere* constructionem non adeo insolitam esse, docent exempla quae dedit Koenigius [3]). Immo *proluere* tam usui quam sensui convenientius quam simplex *luere*, quum praesertim usitatae huius verbi significationes, *solvere*, *persolvere*, hic non quadrent.

---

[1]) Ex duobus tantum codd. Monacc. (M 1. 3.) Iahnius affert *gaballino.* Hauthal. in edit. Sat. I. edit. et castig. ad XXX editt. antiquissimas, Lips. 1833, pag. 3, affert ex edit. Mediol. a. 1476 *fronte.* De cod. Leid. mox videbimus.

[2]) In Mus. Rhen. Nov. Ser., V (1847), pag. 636.

[3]) In Commentario perpetuo in A. Pers. F. Satiras VI, pag. 5. Virgil. Aen. I, 738; Cop. 29; Horat. Sat. I, 5, 16; quibus addi possunt Hor. Sat. II, 4, 27 et Stat. Theb. VIII, 712, sq.

Praeterea interiectio *pro* [1]) non adeo frequens est in veteribus scriptis, ut temere eam h. l. intrudamus, ubi ad ironiam plane supervacuum est nec orationis tenori conveniens. Unum vero codicem lectionem a se prolatam quodammodo confirmare videri dicit Hauthalius [2]), nempe codicem Leidensem, in quo *pollui*, quod ex eo protulit Hermannus [3]), fortasse sic scriptum esse: *pol. lui* vel *pol lui*, ut *pol* sit glossa quae loco genuinae lectionis *pro* in textum irrepserit. Sed hanc viri sagacissimi opinionem falsam esse mox comperi inspecto ipso codice Leidensi, in quo etiam commentum in lemmate *pollui* habet [4]). Verum enim vero si in primis alicuius libri verbis scribendis nimis cauti esse solent librarii, ut dicit Hauthalius, quam ut facile errorem committant, quomodo pro vera lectione glossa in textum venit? Atqui si in codicis Leidensis scriptura genuina lateret lectio, aut codex iste maiore fide descriptus vel collatus esse deberet quam omnes reliqui, quod in tanto codicum collatorum numero vix credendum; aut ad aliud archetypon

---

[1]) Quod animadvertit Hauthal. l. l. pag. 635, de scriptura huius interiectionis, quae, eo iudice, in codd. ante sec. XI scriptis sine adspiratione legitur, confirmatur nostris codd. Leid. et Voss. 1.

[2]) L. l. pag. 636, in nota.

[3]) In disput. contin. Varietatem Lectionis Persianae, quam tertiam adiunxit duabus aliis, de »usu et auctoritate Scholiorum in Persii Satiris emendandis" coniunctim editis sub tit.: Lectiones Persianae, Marburg. et Lips. 1842, pag. 2.

[4]) Cf. Herm. Lectt. Perss. I, 23, n. 45, qui non animadvertisse videtur in cod. Leid. commentum prius quam ipsa poetae verba conscriptum esse, quare librarius haec deformasse potuit ad commenti aut lemmatum verba. Cff. quae de h. cod. diximus pag. 8.

quam reliquorum codicum ullus referretur necesse esset, quod aeque minus credibile videtur, quum nullam prorsus habeat lectionem [1]) (paucis calami erroribus exceptis) quam non apud alios inveniamus. Equidem istud *pollui* pro mendo vel potius emendatione inscientis librarii habeo; neque pluris fecisse videtur Hermannus.

Sed h. l. pauca addam de coniunctione quae inter Prologum et sequentes Satiras intercedat. Quicquid enim statuemus de temporis ordine quo singulae satirae a Persio conscriptae sint, iudicium de hac ratione idem manet, nec quicquam interest, utrum Iahnii [2])

---

[1]) Quod vero ipse C. Fr. Hermannus, Lectt. Perss. I, 7, n. 7, cf. II, 7, dixit de unica lectione quam cod. Leid. solus praebeat, nempe ad Sat. VI, 6, *egregius senex*, hanc viri clarissimi observationem mox falsam arguerunt evulgatae codicum Mp. et Rom. lectiones, in quibus etiam *senex* legitur. Sed neque h. l. cod. Leid. auctoritas tanti est, quum in eo legatur quidem a prima manu *senex*, sed littera *x* scripta sit in manifesta rasura litterae *s*. Praeterea a sec. manu denuo *s* suprascripta est, ut etiam *o* supra *egregius*. Prellerus autem quid sibi voluerit in censura Herm. Lectt. Perss., edit. Iahn. et edit. Duentz. (in Allgem. Liter. Zeitg 1845. N⁰. 143 et 144.) pag. 1140, ubi de hoc loco agit, non facile assequare, quum Iahnium *senex* in textum recepisse dicat idque probet, sed modo hanc modo alteram lectionem explicet. Ipse denique novam ei loco maculam adspersit scribendo *luxisse* pro *lusisse*. Hermanni autem lectionem merito damnarunt Teuffelius in Animadversionibus ad Germanic, metr. Persii edit. Stuttg. 1844, pag. 180, sq. cf. pag. 79, not.; idem porro in censura operis Hermanniani et Iahniani, cett. (in N. Ien. Allgem. Liter. Ztg. 1845, N⁰. 195—197.) pag. 779, et Iahn. in cens. Herm. Lectt. Perss., in Zeitschr. f. d. Alterth. Wiss., 1844, N⁰. 139, pag. 1109, sq.

[2]) In. Prolegg. pag. LXXII; coll. pag. LXIV in nota; Baehr, Gesch. d. roem. Liter. §. 133. edit. 3.; Preller. in cens. l. pag.

sequamur sententiam, primam satiram a poeta ultimam scriptam fuisse non sine veri specie contendentis, an Teuffelii [1]) satis firmis argumentis in diversam abeuntis sententiam. Ipsum vero Prologi argumentum tam arcte coniunctum est cum primae satirae materie, contra cum reliquis ita nullam habet argumenti necessitudinem, ut ad solam primam satiram prologum pertinere statuendum mihi videatur [2]); non tamen ita ut cum Hauthalio [3]) eum una serie cum prima satira continuari censeam, sed potius quasi praelusionem huius recitationi praeivisse [4]). Neque probandus Heinrichius, qui praeterquam quod prologum omnibus satiris communem existimat [5]), auctorem

---

1140. I. C. Meister, Versuch ueber Pers. Sat. I, 92—106. Francof. 802, pag. 111, sq. primam satiram non primum scriptam credit; ita etiam Duentzer. in Persii Satt. in usum scholarum edit. Trev. 1844, pag. 14; coll. pag. 70, sq.

[1]) Pag. 25, sqq., 83, 91 et 196, sq. — Cf. Fr. Passow, Aulus Pers. Fl., Text und Uebersetzung. Ueber das Leben und die Schriften des Persius. Anmerkk. z. 1ten Sat. Leipz. 1809, cuius libri Ium tantum Vol. prodiit, pag. 189.

[2]) Vid. imprimis Passov. l. m. l. pag. 180, sq. et 185, sqq. Cf. pag. 142. Eum secutus est Pinzgerus in censura edit. Plum., in N. Ibb. T. VIII (1833), pag. 288. Idem statuerunt G. E. Weberus Bremensis, in Animadvv. germ. ad metricam suam Persii versionem, edit. 1834, pag. 184 et 192; et Prellerus in cens. l. pag. 1149, quocum velles Iahnium, qui pag. LVI et 71 laudatae opinioni accedere videtur, fusius exposuisset de ea. Novissimus Persii interpres Teuffelius etiam in illorum abiit partes, pag. 27 et 83; cf. eius cens. l. pag. 703; et Baehr. l. l. § 132.

[3]) In I Sat. edit. pag. 11; cf. etiam pag. 16.

[4]) De tota hac re omnino conferendus est Passov. l. modo l.

[5]) In sua edit. quam post mortem ex eius schedis curavit et edidit Iahnius Lips. 1844, pag. 67. E serioribus interpretibus ipse Casaubonus iam hanc amplexus erat sententiam, pag. 37 edit.

eius non Persium sed Caesium Bassum esse contendit [1]), cuius rei nec vola nec vestigium in codicibus exstat neque aliunde quicquam innotuit. Rationem a me commendatam probavit iam pridem Passovius [2]); quod autem hic ad sententiam suam probandum ultimum affert argumentum, quod in Prol. vs. 7 *carmen* singulari numero positum est, id, etiamsi probatur item

---

L. B. 1695 4°.; alii, ut Koenigius in Argumento Prol. in edit. sua, Gott. 1803., pag. 29; Plumius, — cuius editio, quae prodiit Haun. 1827, mihi quidem non ad manum est, sed de uno alterove loco sententia ex modo laudata Pinzgeri censura mihi innotuit; — Duentz. in Summario prologi, pag. 11. — Ceterum F. C. R. Ritterus, in Specim. Annott. in A. Pers. Fl. Sat. 1. Marb. 1833, pag. 64 in nota, coll. pagg. 79 et 84, hac in re non sibi constare videtur.

[1]) Pag. 72, sq. cf. Teuff. in cens. l. pag. 783. et imprimis ipse Heinr. pag. 47. n. 1, ubi vulgatae opinioni favet. Sed iam veteres litteratores hunc scazontem Persio ausos esse abiudicare, auctor est Casaub. l. l. Ceterum omnes fere posteriores, quod sciam, Persii interpretes Vitae auctorem in eo sequuntur, ut tradant non Persium ipsum has Satiras edidisse, sed post eius mortem Cornutum Caesio Basso edendas tradidisse (de cuius in hanc editionem collata opera nihil praeterea memoriae proditum est); solus Ritterus in disput. modo l. pag. 64 n. et pag. 76, ipsum Persium librum Basso edendum tradidisse dicit, in errorem inductus prava lectione *recitavit cornuto*, pro qua in plerisque codd. item in edit. pr. legitur *cornutus* (alteram vocem aliis aliter exhibentibus), quam lectionem commendatam a Breitingero in Schelhornii Amoenitt. Litterr. T. X, pag. 1128, et a Bouherio, ibidem pag. 1143, sq. in textum recepit Oudend. in Vita Persii in edit. Suet. pag. 1006 et optimi quique editores. Mirum itaque, pravam illam lectionem adhuc exstare in Vita praemissa Persii edit. Teubnerianae 1826, curatae ab E. G. Webero. Eandem hanc lectionem secutus esse videtur Bentleius, in Praef. ad Horat. pag. X edit. Lips. 1764, e quo loco etiam patet eum statuisse, Prologum ad omnes Satiras pertinere.

[2]) Pag. 188, sq.

a Teuffelio [1]) tamen non magni mihi videtur ponderis. Exempla enim quae attulit Heinrichius [2]) satis indicant vocabulum *carmen* etiam singulari numero de pluribus carminibus eiusdem generis, etsi nullo interiore vinculo cohaerentibus, usurpari, et non tantum de genere lyrico et iambico, sed, ut apud Phaedrum, etiam de diversis fabulis in plures libros divisis. Eadem significatione Cic. Acadd. QQ. I, 3, dixit *poema* de Varronis Satiris, quas in plures libros easque, ut apparet ex diversis inscriptionibus, varii argumenti distributas fuisse, testis est Gellius N. A. XIII, 30, et fragmenta ostendunt [3]).

5. *Relinquo*] Huic lectioni, quam ex codd. et veteribus editionibus ante Pithoeum recepit Passovius [4]), alteram *remitto*, cui optimi favent codd., cum plerisque recentioribus [5]) praefero, cuius lectionis illam

---

[1]) Pag. 83.

[2]) Pag. 70. Hor. Carm. III, 30, 13; Epist. II, 2, 59; Phaedr. III, Prol. 3; quibus addi potest Horatii locus Epist I, 3, 27 et praesertim Epod, XIV, 7, ad quem locum vid. Duentzer. Krit. u. Erklaer. d. horaz. Gedd. Vol. I, pag. 207.

[3]) Cff. Baehr., l. l. §. 123, Fr. Oehlerus, M. Ter. Varronis Saturr. Menipp. reliquiae, Quedlinb. et Lips. 1844, pag. 62 et F. D. Gerlachius, C. Lucilii Saturr. Reliquiae, Turic. 1846, pag. CIII.

[4]) Pag. 215, sq. Idem dicit *relinquere*, teste Casaubono, exstare in cod. Put. e quo tamen codice ipse Casaub. claris verbis alteram lectionem profert; similiter etiam Hermannus et Iahnius. Deinde Passov. etiam ex codd. Roth. et tribus Monacc. defendit suam lectionem, dum Iahn. ex his omnibus, excepto M 5. (Passov. Mon. 3.), profert *remittere.*

[5]) Praeter Pithoeum *remittere* defendit Casaub. pag. 41, et dederunt hanc lectionem Th. Farnabius (Hanov. 1623), Schrevelius (L. B. 1648), Reizius (Lips. 1789), Koenigius, Achaintrius (Paris. 1812 et 1822), Orellius (in Eclogis Poett. Latt. Tur. 1822

merito pro glossemate habet Hauthalius [1]). Iahnius vero rursus ad alteram deflexit eique assentitur Teuffelius [2]). Quod autem ad significationem verbi *remittere* attinet, ob quam id ab hoc loco abiudicant Passovius et Teuffelius, eodem sensu atque nostro loco legitur apud Cic. de Orat. I, 58: »in qua tibi *remittunt* istam voluptatem, et ea se carere patiuntur," et Tac. Histt. IV, 11: »vim principis complecti, nomen *remittere;*" ubi habet quidem significationem relinquendi, non adiuncta tamen notione qua remittamus solummodo id quod iam in nostra fuerit potestate, quam significationem semper ei inesse statuerunt interpretes laudati. Porro breviter videamus de significatione vss. 6 et 7, imprimis vocabuli *semipaganus*. Ego vero,

---

et 1833), Heinrichius, Duentzerus. Pithoeanam et Reizianam editiones ipse tamen non vidi, earum lectiones mihi tantum innotuerunt ex notis marginalibus in edit. Heinr. et passim ex aliis interpp., praesertim Hermanno, e quo etiam Achaintrii et Orellii lectiones passim cognovi. Prioris lectionis dedit etiam E. G. Weberus ad calcem suae edit. Orellianam praetereà editionem 2^{am} raptim inspexi et pauca ex ea excerpsi.

1) In edit l. pag. 5, sqq., qui locus omnino de hac lectione, et universe de lectionibus e glossis ortis, conferendus est. Videatur de ea re etiam Iahnius, ubi agit de glossis in codice Bern. 1, olim Bongarsiano, in cuius glossis haud paucae servatae sunt veteres lectiones; Prolegg. p. CXCVII, sq. Cum Hauthalio facit etiam Herm. l. l. III, 2. Cf. etiam Heinr. pag. 69 et E. G. Weber. pag. 28.

2) Pag. 86, sq. Habent etiam hanc lectionem edit. Ioh. Bondii, Amst. 1645, quae optima vocatur in opere inscripto Encyclopédie edit. auctore de Felice, Yverdon, 1774—1778, Vol. XXXIII, pag. 161, — et Plumius in cuius edit. cens. eam probat Pinzgerus, pag. 290, sq. annotans eandem varietatem obtinere in codd. ad Virg. Aen. IV, 436; qui versus cum praecedenti spurius iudicatur a Peerlk. Vol. I, pag. 265.

dicit, quamquam quasi rusticus sim neque adeo iis, qui germani sibi videntur poetae, adnumerandus, carmen tamen affero, sed nostrum, i. e. sermoni propinquum nec spiritu poetico inflatum. Hunc puto esse sensum huius loci, quem ostenderunt quoque Heinrichius [1], Duentzerus [2] et Prellerus [3]. Neque tamen opus est, me iudice, ut cum hoc *sacra vatum* intelligamus de Apolline et Musis Palatinis, nec cum illo potissimum de templo Musarum cogitemus [4]. Potius cum Iahnio [5] referam ad communia Musarum studia, quod et Heinrichius fecisse videtur et Teuffelius [6], qui, etsi non accuratam vocabuli *semipaganus* dedit interpretationem, totum hunc locum recte exposuit. Iahnii vero explicatio huius vocabuli metuo ne speciosior sit quam verior. Sunt quidem pagani qui in pagis habitant vel inde oriundi sunt [7] habentque ii communia sacra paganalia [8]; sed ab an-

---

1) Ad n. l. pag. 70.

2) In Summ. Prol. p. 11.

3) In cens. l. pag. 1150.

4) Vid. Hor. Sat. I, 10, 38 et Epist. II, 2, 94, quos locos Duentz. affert in locis similibus ad huius Prol. v. 7, quosque explicuit in opere modo l. T. II, pag. 258 et T. IV, pag. 105; cf. etiam Bentl. ad Hor. l. l. postremum.

5) Pag. 76, ubi in locis quos a Koenigio mutuatus est, pro Ovid. ex Pont. l. II. Epist. 16. legatur Ep. 10.

6) Pag. 87, sq.

7) Ut apud Auct. de Bell. Alexandr. c. CXXXVI, ubi non, ut notat Passov. ad n. l. p. 222, c. CXXXVII, separatim memorantur ab oppidanis, et in Orat. pro Domo, c. XXVIII, ubi diversi sunt a montanis.

8) Praeter locum Dion. Halic. a Iahnio iam laudatum, vid. Varr. de L. L. V, c. 3, pag. 49, 7, ubi diserte traditur Pagana-

tiquis paganos absolute dictos esse homines communibus utentes sacris, non credo. Neque ergo *semipaganus* significare potest, qui se iis qui communibus his sacris utantur non totum adnunerare audet: quod, si quid video, Iahnius voluit [1]). Verum enim vero Persius non *semipaganum* se dicit ratione habita poetarum aliorum, qui ut pagani communia habeant sacra, quorum ipse non plane particeps sit, sed se ipsum vocat *quodammodo paganum*, i. e. fere rusticum et inurbanum. Haec vocabuli *paganus* interpretatio h. l. mihi tenenda videtur, quum deinde apud scriptores Persio suppares, Iuvenalem, Tacitum, Plinium Iuniorem, Suetonium et postea apud Ictos usurpetur de iis qui militibus non adscripti essent; de qua huius vocabuli significatione cf. Heinr. ad Iuven. Sat. XVI, 33. Ritterum [2]) inter argumenta e quibus efficere conatur Persium non Romae, sed in quodam Etruriae oppido satiras suas scripsisse, etiam hunc locum adhibuisse verbo monuisse satis sit.

In Satiram I.

2 et 3. *Quis — quare*] Interpretes alii aliter hos

---

lia diversa fuisse a Montanorum feriis; et quae de eo loco disputarunt Gesnerus et Wolfius ad l. m. l. ex Orat. p. Dom.; alia contra docuerunt Markland. ad istum locum et Ern. in cl. Cic. v. *paganus*.

[1]) Pag. 76, sq.

[2]) In Dissert. I. pag. 50, sq. Ex hoc aliisque argumentis, quibus opinionem suam probare studet Ritterus, nihil concludi posse, recte animadvertit Iahn. in Prolegg. pag. V, in nota.

versus distinxerunt. Poetae mentem optime intellexerunt Passovius [1]), Orellius, G. E. Weberus in versione [2]), et nuperrime Iahnius, qui omnes verba *nemo hercule* monitori, qui dicitur, abiudicantes ei sequens *nemo* tribuunt; ut verba tali modo dispescantur:

» Quis leget haec ?" Min' tu istud ais ? Nemo hercule. » Nemo ?"
Vel duo, vel nemo. » Turpe et miserabile." Quare ?

Ita recte se habent omnia et bene procedit dialogus. Teuffelius [3]) vero verba sic describit, ut colloquentium singulis singulae enuntiationes tribuantur. Atqui verba *turpe et miserabile,* quae sic poetae tribuuntur, sunt potius adversarii, significantis quam parum inde gratiae et honoris poeta percepturus sit. Casauboni distributionem rursus commendavit Heinrichius [4]), ita se habentem:

---

[1]) Pag. 238, sqq., qui omnino de h. l. consulendus est, quum Orellius et Iahnius optimam solummodo dederunt distinctionem.

[2]) Ubi in plerisque recensionem secutus est Orellianam, ut ipse testatur, pag. 168 sq. Vid. etiam Bilderdykius noster, in praeclara Belgica Persii Satirarum imitatione, qui eandem h. l. exhibet personarum distributionem, sed mox verba: *Nugae — Ah* (ut legisse videtur) denuo monitori tribuit. Cf. etiam Teuffel. pag. 94. Idem iam antea fecerat Bondius, cuius etiam in reliquis prorsus dissentientem distributionem hic apponere lubet:

O curas hominum! O quantum est in rebus inane!
Quis leget haec? M. min' tu istud ais? nemo Hercule. P. nemo?
M. Vel duo, vel nemo. P. turpe et miserabile. M. Quare?
P. Ne mihi Polydamas, et Troïades Labeonem
Praetulerint. —

[3]) Pag. 92, coll. 55 in nota. Ita hos versus constituit:
»Wer liest Solcherlei?" Gilt das mir? »Kein Einziger." Meinst du?
» Einer, vielleicht auch Keiner." Ein Schimpf und ein Iammer!
(» Warum diess ?"

[4]) Pag. 74, sqq. Eandem etiam exhibet Plumius, probante

»Quis leget haec?" Min' tu istud ais? »Nemo hercule!" Nemo?
»Vel duo, vel nemo; turpe et miserabile!" Quare?

a qua Reizius [1]) et Koenigius [2]) eatenus recesserant, quod primum huius Satirae versum monitori tribuant. Similiter Hauthalius [3]), qui ceteroquin laudatam modo distinctionem exhibet. Aliter denique Duentzerus [4]) partes distribuit, vocabulum *nemo* coniunctim cum proxime sequentibus *vel duo vel nemo*, Persio tribuens. Haec autem lectio quodammodo convenit cum ea quam iam Casaubonus [5]), memoravit exstare in codice Puteani, ego inveni in Voss. 2. et dedit Achaintrius [6]). Non audiendus autem E. G. Weberus [7]), qui versu demum 44 Satiram nostram dialogicam formam induere existimat. — Versu 4 post Pithoeum omnes quod sciam interpretes habent *ne*, praeter Achaintrium [8]) et Heinrichium qui *nae* scribunt. Sed sententia et totius loci tenor suadent potius ut cum plerisque interpretibus *ne* legamus intellecto verbo metuendi: *timeam ne....?* quam constru-

---

Pinzgero in cens. laud. pag. 293, sq. Aliter tamen de Plumii distributione statuit Ritterus, l. l. pag. 26, cuius libellus eodem fere tempore cum Pinzgeri censura in lucem prodiit.

1) Cf. Passov. pag. 239.

2) In Comment. pag. 11.

3) L. l. pag. 11.

4) Vid. l. l. in vers. metr. pag. 17.

5) Pag. 49.

6) »P. Nemo? vel duo vel ..... A. Nemo. Turpe — » ut Achaintrii lectionem exhibet Heinr. pag. 75, ubi merito eam explosit.

7) Pag. 29.

8) Cf. Heinr. p. 76.

ctionem Bondius, Hermannus [1]), Iahnius [2]), alii merito commendarunt. Perperam etiam Heinrichius lectionem suam tueri conatur verbis Sallust. Cat. c. XI: »*ne* illi corruptis moribus victoriae temperarent," ubi *ne* non est particula affirmativa (*nae*), sed prohibitiva. Eadem harum vocularum confusio est apud Terentium Adelph. V, 3, 49, sqq. ubi Donatus utramque lectionem exhibet et explicat.

8. *Nam Romae est* cet.] Ne in eligenda lectione, quae h. l. maxime sit accommodata halucinemur [3]), satius est codd. [4]) fere omnium auctoritatem sequi cumque Iahnio [5]), Teuffelio [6]) et prioribus nonnullis [7])

---

[1]) Lectt. Perss. III, 4., ubi ex duobus deterioribus tantum codd. lectionem *nae* affert. Sed in tali re codicibus nimium tribuere vetat fere constans in iis scribendi ratio. Cff. tamen quae animadvertimus de codd. Leid. et Voss. 1. pag. 8, sq. et 21.

[2]) P. 78, sq.

[3]) Herm., qui ceteroquin nimis tribuit auctoritati lemmatum amborum codd. (Leid. et Norimb.) scholiastae, hoc loco editi Commenti lemma sequitur (Lectt. Perss. II, pag. 9.), cui maiorem, quam par est, h. l. fidem habuit, ut ostendit Iahn. in cens. laud. pag. 1108.

[4]) Neque h. l. Mp. tanti momenti est, quum in Rom. non omissum sit et uterque pro *Romae* habeat *Roma*. Paucis, in quibus *est* omissum est, accedit noster Voss. 3; in Periz. ab altera manu transfixum est.

[5]) Cf. tamen pag. 113., ubi nostrum versum citans scribit: *Romae quis non?* Ceterum de aposiopesi post quod vocabulum hanc locum habere censeat, solummodo patet ex eius distinguendi ratione.

[6]) Pag. 55, n. ** et 94.

[7]) Pithoeus, Casaub. (cui tamen etiam altera arridebat lectio; cf. pag. 52), Schrevel., Reiz., Passov., E. G. Weber., Hauthal. l. l. pag. 14, sq. ubi verbum *est* etiam nostro loco vindicat.

est retinere, modo cum duobus his aposiopesin post *ac* [1]) statuamus. Qui contra ante hoc vocabulum aposiopesin ponunt, hi melius *at* [2]) recipiunt, cuius vim et significationem optime indicarunt Lennepius ad Ovid. Herr. III, 149 et Orell. ad Hor. Epod. V, 1. — Quum vero difficile sit certo affirmare quid poeta hic reticuerit, tum audax est statuere ei iam hoc versu ante oculos fuisse verba, quae demum vs. 121 enunciat [3]). Etenim haec opinio merito redarguitur eo quod, ut Bauerus [4]) animadvertit, Per-

---

[1]) Praeter eos hanc particulam tantum exhibent Pith., Casaub., Achaintr. (teste Herm. quum non indicatur in Var. Lect. apud E. G. Web.), Hauthalius et Deuntzerus.

[2]) *At* habent praeter Schrevelium, Passovius et Heinrichius et commendat Herm. Lectt. Perss. III, pag. 4, sq., ubi hanc lectionem etiam affert ex cod. Guelf. B., pro quo in edit. Iahn. errore typographica excusum est W 2. quod debet esse W 1. Passov. autem (pag. 251.) recepit *at* ex cod. Monac. 2, ex quo cod. Iahn. (M 4.) affert *ah*, quum idem contra ex M 5. et 6. praebet *at* in quibus Passov. (Monacc. 3 et 1) invenisse videtur *ac*. Sic ex cod. Goth. Iahn. dedit *ac*, quum ex eo cod. versus iste prorsus dissentiens a vulgata lectione exhibetur a Passovio et Heinrichio. Apud Passov. autem pag. 251. sic legitur: »Nam Romae est aliquis? non. sed si fas dicere. sed fas." cf. Teuffel. qui, in cens. l. pag. 778, ex hoc cod. secundum Blum (Plum?) affert *non. At.* Ceterum *Ah*, quae lectio etiam Casaubono. l. l. placebat, habent Farnab., Bond., Reiz., Koenig., Orell., Weberus uterque, Ritterus in disput. l. pag. 11 et 32 n. 35 et commendat Preller. cens. l. pag. 1146. E. G. Weberus tamen ex Orell. affert *at*, pag. 29; usus est itaque prima edit.; ego in altera *ah* reperi, quod et legisse videtur alter Weberus.

[3]) Fecerunt hoc Casaub., Plum. (cff. Herm. Lectt. Perss. II, 10, et Teuff. pag. 95), Duebner. (cf. Herm. l. l.), Heinr. pag. 78, cl. 114; ipse Herm. l. l. et Prell. l. l. Etiam Stieberus in libro mox laud.

[4]) Apud Teuffel. p. 95.

sius ipse ibi non scripsit *quis non*, sed *Mida rex*, quae verba cum nostro loco non cohaerent. Praestat igitur Passovii [1]) sequi opinionem, quam etiam Iahnius [2]) amplexus est, censentis totius Satirae argumentum significare quid poeta reticuerit; aut cum Teuffelio [3]) statuere, quod nostro loco se reticere simulat poeta, id ipsum statim ab eo enuntiari versibus seqq. 9 et 10; quibus ego vs. 11 adiungendum putarim. Male enim Teufelius [4]) vs. 11, *quum sapimus patruos*, interpretatur de satirici poetae officio. Versatur autem Persius in adumbrandis temporis sui moribus. Iuvenes, modo exuta toga praetexta, patruorum iam affectabant severiattem et rigorem, ut probos se esse censores simularent, sed dum Catones loquuntur, Bacchanalia vivunt. Et peropportune quidem poeta h. l. huius rei mentionem facit, ubi ostendit vera studia contemni et omnes prava iactantia et inani gloriae et favoris captandi studio duci. Ceterum Duentzerus [5]), qui *est* omisit [6]), verba *ac si fas dicere* adversario tribuit, quod recte fieri posse dixerat iam Passovius [7]). Haud magis recte vs. 11

---

1) Pag. 250, sq.

2) Ad n. l. pag. 80. et impr. ad v. 121, pag. 113.

3) Pag. 94.

4) Pag. 94 in fine et impr. 95, sq.; cf. etiam in versione.

5) Patet hoc ex eius versione.

6) *Est* etiam omittunt Farnab., Bond., Koenig., Orell., Heinr., Herm. et Preller. Eandem lectionem etiam commendarunt Stieberus, in coniectaneis in nonnulla Ovid., Iul. Obseq. et Persii loca, Erl. 1786, cuius verba affert Passov. pag. IX; et Ritterus in Disput. l. pag. 77, coll. n. 38 et locis modo ll.

7) Pag. 251.

Nolo a Plumio, Hauthalio [1]) et Heinrichio [2]) ipsi poetae tribuitur.

13, sqq. *Scribimus inclusi*] Marklandi [3]) coniecturam *inclusus*, invitis omnibus codicibus, in textum receperunt Passovius [4]) et Heinrichius [5]); sed recte Iahnius [6]) animadvertit accusativum *numeros*, quem illi retinuerunt, pro quo Marklandus ablativum subposuerat, cum verbo *inclusi* (vel *inclusus*) coniungi non sinere leges sermonis et eo modo non aliter dici posse nisi *inclusus numeris.* Dictionem autem *scribere numeros* illustravit Hauthalius [7]) conferens vss. 65 et 92—95 nostrae Sat.; sed idem (mirum!) verbis *hic pede liber* significari criticum vel grammaticum dicit; post *liber* etiam comma delet, ut membrorum exsistat concinnitas. Optime autem totum hunc locum legunt et distinguunt Schrevelius, E. G. Weberus, Iahnius et Teuffelius [8]). Sed immerito Teuffelius Hermannum, qui post *anhelat* non plene distinxisse videtur [9]), reprehendit, quod participium *le-*

---

[1]) L. l. pag. 15.

[2]) P. 76.

[3]) Ad Stat. Silvv. IV, 5, 67, pag. 328, b. edit. Dresd.

[4]) Cf. pag. 255, sq. Fecit etiam Plum., qui tamen ablat. recepisse videtur.

[5]) Cf. pag. 80.

[6]) Pag. 81. E. G. Weber., qui vulgatam lectionem retinuit, ex voc. *liber* ad enunciationem *numeros ille* contrarium *inclusus* vel simile quid intelligi vult, pag. 30, quod, eo etiam non indicante, unusquisque facile intelligit, si necesse sit.

[7]) L. l. pag. 16.

[8]) Pag. 97.

[9]) Lectt. Perss. II, pag. 12.

gens cum *pulmo* construxerit, nimirum quod ita et *pexus* et *albus* ad id referri debeant quod absurdum esse. Licet enim *pexusque* — *albus* aeque ac participium *legens* cum voce *pulmo* construantur, tamen, ut saepius fit, *κατὰ σύνεσιν* referri debent ad intellectam legentis personam, et recte Hermannus contulit locum Iuven. X, 238, sq. [1]). Participium autem *legens*, quod omnes fere praebent codd., sanum est, neque ulla caussa cur cum Heinrichio quorundam antiquorum editorum lectionem *leget* [2]) recipiamus, cui nulli suffragantur codd., vel paucorum codd. scripturam *leges* [3]). Neque Heinrichianum *colluerit* [4]) probo, quod etsi codices quidem

[1]) Cf. K. G. Iacob in cens. valde laudante operis Duentzeri, cui titulus est: Die römischen Satiriker, fur gebildete Leser übertragen u. m. den nöthigen Erläuterungen versehen. Braunschw. 1846 (qui liber, in quo novam dedit Duentzerus Persii versionem, ipse non vidi); in Iahn. et Klotz. N. Ibb. T. XLIX, pag. 218.

[2]) Haec lectio ab Heinr. pag. 81. commendata occurrit, teste Hauth. l. l. pag. 17, in tribus editionibus anno 1500 vel circiter impressis; ego inveni in edit. Bond.

[3]) Praebet etiam hanc lectionem editio pr. (cf. Hauth. l. l.) et seriorum editorum primus eam recepisse videtur Pithoeus, quem secutus est Casaub., et deinde Farnab., Reiz., Koenig., Achaintr., Orell. — Quum autem Passov. pag. 258, E. G. Web. pag. 30, Hauth. l. l., Herm. II, 12 et Iahn. in ann. crit. ad h. l. diserte tradant praeeunte Pithoeo alios recepisse *leges*, error habendus est quod in edit. Heinr. in marg. pag. 18 *legens* affertur ex edit. Pith. Licet Heinr. (cf. pag. 81.) id re vera in edit. legisse videatur. Affertur denique *leges* ex cod. Goth. in vv. ll. apud Heinr. silentibus tamen Passovio et Iahnio.

[4]) Habent hanc lectionem etiam Bond., Passov. et Hauth. Errore typographico (ut apparet ex ipsius Hermanni (III, 5.) testimonio, ubi ex cod. Guelf. B. affert *coluerit*, quae lectio confirmatur Iahnii silentio) affert Herm. II, 12 ex eo cod. *collueris*.

perquam boni exhibent tamen plurimorum lectio *collueris* maiorem periodo conciliat concinnitatem.

19. *neque voce*] H. l. codicum lectiones nos fere ancipites relinquunt, ut dubites utrum Mp., Rom., Ebner., Put. et Voss. 1. auctoritatem secutus legas *nec voce*, an cum omnibus reliquis [1]) *neque voce*, cui Bong., uterque Guelf. et Leid. favent. De optimis Trevirensibus non constat [2]). Quod autem Orellius [3]) animadvertit, in Lucretio et Cicerone, hos inter utramque formam alternari, id vero apud Persium non locum habere patet, qui saepius *nec* — *nec* posuit, ubi binas particulas alternatim ponere potuerat. Recte etiam Heinr. [4]) ad Prol. v. 2 non tanti fecit grammaticorum regulam, ut eo loco cunctorum, uno excepto, codicum lectionem relinqueret et cum Reizio *neque* legeret. Idem Heinr. v. 21· [5]) pro *ubi* recepit ex antiqua editione sine a. et l. *ut*, ad elisionem evitandam, quam tamen Persius inter

---

Sic secundum Passovii silentium in codd. Monacc. 1 et 2 exstaret *collu-erit*, quum Iahnius ex iis (M 6. et 4.) alteram profert lectionem.

[1]) Male Teuffel. in cens. l. pag. 778, dicit Hermannum praeferre *nec*, qui in Disput. III, pag. 5 satis clare alteram lectionem commendat. In antiquioribus autem editionibus, quas contulit Hauthalius, omnibus, quinque tantum exceptis, legitur *nec*.

[2]) Ex edit. enim Heinr. patet in cod. Trev. 1. exstare *nec*; ex Tr 2. autem *neque* affertur. Contra patet ex Herm. in Trev. 2. legi *nec*, et secundum Iahn. Tr 1. habet *neque*. Passovius de codd. silet.

[3]) Ad Cic. Orat. c. IV, §. 14; cf. etiam Peerlk. ad Hor. Carm. III, 12, 1.

[4]) Pag. 68, ubi in linea 17 pro altero *neque*, errore fortasse typographico posito, legatur *nec*. Cf. idem ad n. l. pag. 82.

[5]) Pag. 82.

quartum et quintum pedem decies septies in Satiris admittit, et novies [1]) quidem in hac prima. Simili modo Horatius in eadem sede elisionem, licet non tam frequentem quam in prioribus vel sexta in sede, habet [2]). In Satt. autem libro I, 1, quinquies eam offendi et vs. 10 in eadem voce *ubi*. Neque maiore iure idem Heinrichius Sat. III, 32 voculam *et* omisit ob duriorem in arsi elisionem; sed iam plures interque eas non minus duras sibi indulsit Persius in eadem tertia et in aliis sedibus; sic v. c. in eadem sede et iisdem vocalibus, Sat. I, 63; II, 33; V, 96 [3]). — Quum autem ii qui habent cutem duram minus subtiliter res sentiant et sensus corporeus commode ad animum transferri possit, in seqq. verba *cute perditus* interpretor proprie de cutis aegritudine, quae ex corporis prurigine vehementique strigilis usu oritur et corpori calla obducit, ut ostendit Suet. in vit. Aug. c. LXXX; metaphorice de duritie et morali pravitate istius *vetuli*, qua nimiae vanaeque laudis a nullius

---

[1]) Vss. 2, 6, 13, 21, 27, 48, 74, 92 et 120.

[2]) Vid. Duentz. Krit. u. Erkl. d. horaz Gedd. Vol. IV, pag. 48, ubi omnino de Horatii hexametris conferendus est, pagg. 43—52. De Persii versibus quaedam congessit ad Sat. VI Summar. pag. 71.; cf. etiam Teuffel. pag. 46.

[3]) In aliis sedibus Sat. II, 13. 61; IV, 23. 38; V, 57. 115. 161; VI, 16. 48. 51. 74. Quod autem Iahnius animadvertit, ad Sat. IV, 14, pag. 169, tribus praeter hunc tantum locis (I, 66. 131 et II, 8) Persium similem minus elegantem elisionem admittere, prorsus aliter reperisse mihi videor. Nempe in secunda syllaba dactyli, et quidem passim in monosyllabis, elisionem reperi in Sat. I, 14. 26. 32. 34. 46. 51. 71. 98. 110. 125; II, 12. 42. 73; V, 23. 33. 34. 39. 41. 43. 65; VI, 32.

pretii hominibus sibi tributae vilitatem vix sentiat nec respuat. Ita Cicero Tuscc. QQ. III, 22, metaphorice dixit *callum vetustatis.* In simili fere re Gell. N. A. V, 1 *deperditum* vocat hominem, qui philosophi oratione non ita tangitur ut abstineat ab obvias quasque vulgatasque laudes effutiendo. Recentiorum eandem amplexus est interpretationem solus, quod sciam, Heinrichius [1]), qui ad eam tuendam affert Virg. Georg. III, 501: » aret pellis et ad tactum tractanti dura resistit;" sed quum eo loco de equo sermo sit, verba ista accipi possunt de pilis quibus pellis animalium obsita est, qui alias horrentes, horridi, rigidi [2]) dicuntur et pellem ipsam duram faciunt, ut est apud Horatium Epod. XVII, 15, » setosa duris exuere pellibus — membra" de Ulyssis comitibus; cf. Ovid. A. A. III, 194.

20. *En pallor seniumque*] Invitis omnibus codicibus, pro *en* Heinrichius [3]) legit *hinc;* sed vulgata non sollicitanda. Idem porro cum Duentzero verba haec cum duobus prioribus versibus coniungit et adversario tribuit, quod iam Koenigius [4]) suaserat; omnes vero reliqui interpretes rectius ipsi poetae dant. Ex huius enim ore satirica ironia quam maxime loci festivitati inservit. Sic inde a

---

[1]) Pag. 82, sq.

[2]) Horum vocabulorum exempla, passim obvia apud Ovidium, vidd. in Indicc. verborum in editt. Gierig. Metamm. et Fastt.

[3]) Vid. pag. 83.

[4]) In Comment. pag. 18. In textum tamen eam distributionem non recepit.

verbis vs. 30 *ecce inter pocula quaerunt* in omnibus fere, quod sciam, editionibus ipse poeta adversantis sibi partes suscipit usque ad vs. 40 dimidiatum. Persius enim haec quasi ex mente oblocutoris efferre videtur, sed revera orationem ita suo modo informat et colorat, ut facilius illius appareat fatuitas. Deinde unum et alterum e vulgo se interpellantem inducit, qui poetam arguat quod nimis risui indulgeat modumque excedat. Aliter vero Heinrichius, in cuius editione inde a vs. 28—43 omnia verba monitori, qui dicitur, tribuuntur. Hanc vero rationem ipsa verborum sententia, praesertim vs. 33 et vs. 40, *ait*, iam satis redarguunt. Ipse tamen Heinrichius, si quid video, cum de hoc loco, tum de aliis [1]), non semper eandem retinuisse videtur opinionem, quod statim apparebit si, quae in illius editione dicta sunt ad vs. 30 et 36, conferantur cum totius loci distributione pag. 17. Pro insolito *hyacinthina*, quod apud nullum scriptorem occurrat [2]) de vestibus hominum delicatorum, idem coniecit *tyrianthina*, sed nullis suffragantibus libris.

46. *Quando*] Scoppae coniecturam *quamquam* recepit Heinrichius [3]), qui tamen totum potius versum otiosum censet, quum etiam codices quidam omit-

---

[1]) Cf. Iahn. in praef. edit. Heinr. pag. 10.

[2]) Cf. Heinr. pag. 84.

[3]) Quem vide pag. 86. Praeterquam in codicibus a Iahn. memoratis, excidit etiam in duobus recentioribus Hermanni (Lectt. Perss. III, 6), et transpositi sunt hic et sequens versus etiam in Heinr. Rom. et Trev. 2 et in nostro Voss. 2.

tant. Recte vero Iahnius [1]) in sua editione vulgatam *quando* illustravit et nostro loco vindicavit. Ceterum Passovii [2]) explicationem, qua *excutere* vs. 49 dictum sit de peris capacibus quae omnes laudationes in se recipiant, merito explosam ab Heinrichio [3]), nuperrime denuo protulit Teuffelius [4]). Melius vero Iahnius [5]) *excutere* explicat: »rem aliquam ita quatere, ut quicquid alieni insit decidat," cui etiam altera accedat Ernestii [6]) explicatio: »videre si quis quid absconditum secum habeat, quod fere fit excutienda toga: scrutari." Exquisite enim noster l. l. eo vocabulo usus est, quo ambas interpretationes una exprimat. Similiter occurrit Sat. V, 22 et VI, 75; cum *scrutari* coniunctum invenitur apud Cic. pro Rosc. Amer. XXXIV et Epist. ad Q. Fr. I, 1, 3.; cum *inquirere* ap. Ovid. Epist. ex Ponto IV, 8, 17, sqq. et seorsim in Fastt. V, 244; apud Phaedr. V, 5, 19 (cf. ibi Scheffer.); Iuv. VI 143; Petron. LXXXVIII (quo vid. Burm.) et CXIX; Curt. VII, 2, 9 [7]); Plin. Iun. [8]) in Epistolis passim; Suet.

---

[1]) P. 89, sq.; cf. Passov. pag. 275. Lectionem cod. Monac. 1., apud Passov. (Iahn. M 6.) *quum haec*, cui aliquid tribuit Heinrichius, non indicavit Iahn.

[2]) P. 276.

[3]) P. 86.

[4]) P. 101. Teuffelii tamen liber, quum edebatur Heinrichiana editio. nondum prodiisse videtur.

[5]) P. 90.

[6]) In Clav. Cic. in voce.

[7]) Unicus hic est Curtii locus quo illam significationem habet, alibi hic scriptor sola quatiendi notione hoc verbum usurpat; cf. Index Freinshem. (edit. Snakenb.) in voce.

[8]) Apud hunc contra in opere laud. ubique fere synonymum

Claud. XXXV. Prorsus vero aliam significationem habet idem vocabulum in hac Sat. vs. 118: *excusso suspendere naso*, quam dictionem Casaubonus comparavit cum Horatiano *naso adunco* (Sat. I, 6, 5.), ut postea etiam fecit Heinrichius [1]). At Passovius [2]) synonymum, et fortius quidem, iudicat ei quod dixit Horatius *naris emunctae;* similiter etiam Iahnius 3). Hi cogitasse videntur de naso muco et mala pituita purgato. Sed verissimam vocabuli *excutere* h. l. significationem post Casaubonum iam intellexerunt Farnabius, qui explicavit de *naso non rugato*, et Bondius 4) de *naso non rugoso, sed exporrecto;* vel ut idem etiam plenius dixit: » *excusso suspendere naso*, est tecte et subdole irridere: nam, qui sic irrident, non crispant nares neque in sannam corrugant, sed nasum excutiunt ac porrigunt, ac si nihil tale agerent." Eandem explicationem amplexus videtur, ut ex collato Horatii loco efficitur, Heinrichius 5), qui, licet interpretetur *sursum iactato*

---

est verbis examinare, inquirere, tribus locis exceptis ubi quatiendi notionem habet.

[1]) Casaub. in Pers. Horat. imit. pag. 206; Heinr. pag. 112.

[2]) P. 348, sq.; cf. p. 111. Illius tamen versus sensum optime reddidit in versione: » Schlau, mit ernstem Gesicht das gesammte Volk zu verlachen."

[3]) P. 112.

[4]) Farnab. in Animadv. ad v. 118 et Bond. in Ecphrasi ad eum locum et in Annott.

[5]) P. 111, sq. Idem vero perperam explicationem *emuncto* tribuit Lubino, quum iam apud veterem Scholiastam ea occurrat. Eidem interpretationi favere videtur Erasmus, qui in Adagiis (pag. 165, edit. 1643) hunc versum, memoriter fortasse, citans pro *excusso* scripsit *exterso*. Ita etiam vertit G. E. Weberus: » Fein

(quod quomodo fiat nisi in rugas contrahatur, non intelligo), tamen ad verbi usum illustrandum affert *excussa brachia*, cui Ovidii (Metamm. V, 596.) loco addi possunt alter e Metamm. libro VI, v. 703: *excussit pennas;* Petron. XCV: *excussissima palma*, et loci ibi a Burmanno laudati [1]. Similiter noster Sat. III, 115 dixit: *membris timor albus excussit aristas*, quod per prolepsin interpretor: timor fecit ut pili in membris horreant aristarum modo. Cum quo loco fortasse conferri potest locus Petron. LXXXIX in fine: *altas quatere ad excussum iubas*, nisi *ad excussum* eo loco archaice dictum sit pro *ad excursum*, ut voluit Weitzius. Similiter quoque de Erynnye dixit Ovid. Met. IV, 492: *caesariem excussit*, ubi tamen simpliciter significare potest *movere*.

56. *Qui pote? vis dicam?* cet.] In hoc versu nuperrime Hauthalius [2] duas proposuit emendationes easque a codicum scriptura ne transversum quidem unguem recedentes, quare paullo accuratius examinandae sunt. Nempe versum ita legendum censet:

Quî pote? *Ius* diçam: Nugaris, cum tibi, *Calve*,

---

an geläuterter Nase das Volk aufziehend zu scherzen." Duentzerus, qui solummodo Horat. Sat. II, 8, 64: »suspendens omnia naso" citat, vertit tamen »fein rümpfend"; melius ad sensum Teuffelius: »die Menge verhöhnet er spitzig." In Animm. pag. 120 idem affert versionem Baueri, qui ante oculos habuit Hor. Sat. I, 6, 5, vertens: »läst das halbe Volk auf seiner krummen Spötternase tanzen.

[1]) Quibus addatur Luc. I, 424.

[2]) In Mus. Rhen. Nov. Ser., V (1847), pag. 630, sqq.; cf. idem in eodem libro VI, pag. 310.

Primum pro omnium editorum lectione *vis dicam* mavult *ius dicam*, sine interrogatione. Ad quam mutationem tuendam tria affert argumenta, quorum secundo, petito ex ratione palaeographica [1]), quia pro utraque lectione aeque facit, supersedere possumus; de duobus reliquis videamus. Horum postremum positum est in scholiastae verbis ad h. l.: » et dices mihi te cupidum esse *iudicii mei de tua scriptura*, utrum scripseris bene an male [2])" et » Tu *verum examen* ab iis audire desideras." Haec tamen, si quid video, magis alteri lectioni favent. *Iudicium* enim eo loco non est verbum forense, sed nihil aliud significat quam sententia, existimatio, opinio; ita etiam *examen*, quod, proprie de lingua bilancis dictum, metaphorice pro iudicio, censura ponitur. Vidd. ipsius Scholiastae verba ad nostrae Satirae vs. 6: » *Examenve improbum*, ἀλληγορικῶς dicit, hoc est, non debere quaeri iudicium in vulgari iudicio, quum in eo aequitas non sit," et idem Schol. ad v. 7. Paulo maioris videtur momenti quod primum profert argumentum, quod scilicet pro familiari *vis dicam* poeta, ubi artis iudicem agit, fortius et rei accom-

---

[1]) Similiter Herm. (Lectt. Perss. II, 17) invenit in codd. Guelff. Sat. I, 61 *vis est*, vel potius, ut dicit, *jus est*, e quibus codd. Iahnius profert *vis est*, addens in W 1. (Herm. B.) suprascriptum esse *fas*, quod Herm. omisit; cf. etiam Cort. ad Luc. I, 360, quem affert Herm. l. l. in nota 26. Quod in nostris Leid. et Periz. Sat. II, 6 legitur *cuius*, quod etiam Herm. (l. l. III, 9) ex Leid., Guelf. A. (non indicante Iahn.) et Ebner. dedit, librarii error est, qui in similibus litterarum ductibus unum omisit.

[2]) Ita dedit Hauth.; in edito apud Iahn. *dicis* et *iudicii veri* non *mei* legitur.

modatius posuerit *ius dicam*. At vero totus orationis tenor prorsus non requirit formulam illam iudicialem, qua ingrate turbaretur familiaris orationis color, cui contra appositum plane est *vis dicam* [1]. »Quomodo fieri possit ut illi, quorum benevolentiam donis obsoniisque captasti, sincerum proferant iudicium? At visne ego tibi verum dicam?" Sic recte omnia procedunt. Contra si *ius dicam* legeretur, formula illa nostro loco procul dubio flagitaret additum pronomen *ego*, tam propter transitum, quam quod in iure dicendo maximi ponderis est, quae sit persona qui ius dicat. — In altera quam Hauthalius proposuit emendationem vocabulum *calve* non appellativum putat, sed nomen proprium, ut eo significetur *C. Licinii Calvi* poetae, Catulli amici, aliquis imitator, idque non tantum nostro loco, sed etiam vs. 68 et vs. 75 verbis, *noster poeta* et *euge poeta*, Persium talem Calvi imitatorem respicere iudicat. Verum Persius iis locis non in uno poesis genere prava pericula traducit, sed generatim in omni poesi tractanda ineptorum poetarum conatus deridet: ergo non eorum tantum qui Calvum imitarentur. Praeterea, ubi apud antiquos mentio fit de Calvi illius poetices studio, semper fere cum Catullo coniungitur [2], qui a Persio nusquam memoratur. Plinius quidem Epist. V, 3, 5

---

1) Cf. Mart. VI, 30, 6 et VII, 99, 10.

2) Hor. Sat. I, 10, 19; Ovid. Trist. II, 427, sqq.; Amor. II, 3, 61, sq.; Propert. II, 19, 40; II, 25, 87, sqq; Plin. Epp. I, 16, 5; Sentius Augurinus, apud eundem Plin. IV, 27, 4; Gell. N. A. XIX, 9; cf. etiam Suet. in vit. Caes. LXXIII.

solummodo Calvum nominat [1]), sed ibi oratores recenset qui etiam poesin excoluerunt. Ubi vero apud hunc et alios scriptores Catullus et Calvus occurrunt, aut de ipsorum poeticis studiis sermo est, aut de aliorum eos imitandi studio, quod quidem ex ipsis verbis manifeste apparet; sed nusquam ita ut illi imitatores derideantur, nisi in loco Horatii, ubi tamen non de imitatore, sed de recitatore tantum sermo est qui Calvi et Catulli carmina cantare doctus erat. Quicquid autem est, hoc loco nulla est caussa cur non *Calve*, si nomen proprium sit, potius pro vero nomine habeamus illius poetae quem Persius traducat, quam pro personato, de quo nihil ex poetae verbis effici potest In appellativo autem *calve* nequaquam dativus pro vocativo poscitur; saepius enim interiectio *o* omittitur, quam, si cogitatione suppleamus, nihil est quod offendat. Neque vero poetae obiici potest, quod probrosa hac appellatione *calve* eiusdem criminis reum se faciat, quod in aliis notat vs. 128 [2]): »*Lusco* qui possit dicere *lusce!*" *Luscitio* enim est vitium naturae; *calvitium* saepe luxuriae, et nostro

---

[1]) Neque, ut per se patet, hic valent loci, ubi Calvus in Catulli carminibus nominatur; neque alii, ex. gr. Cic. ad Divv. VII, 24; Suet. in vit. Caes. XLIX; Gell. IX, 12, neque ii ubi de eo oratore agitur.

[2]) In edit. Sat. I, pag. 39, sq. Hauthalius *Luscus* aliter explicuerat. »Luscus — inquit — h. l. non est *μονόφθαλμος*, *ἑτερόφθαλμος*, sed is, qui alterum (sinistrum) oculum clausit — prae metu accedentis aedilis fastidiosi, — vel is, cuius supercilium salit." Sed postea, ut patet ex postrema eius hac de re disputatione, illam interpretationem merito reliquit.

loco, ut ex totius satirae indole (cff. imprimis vss. 9, 22, 26, 79, 87, 102) apparet, dicitur in opprobrium divitis gulae et ventri dediti, qui non senectutis culpa, sed luxuria et helluatione calvitiem sibi contraxisset. Versu sequenti pro omnium fere codicum lectione *propenso* solus textus Heinrichianus exhibet *protenso*, quam codicis Romani lectionem, Hieronymi et Prisciani auctoritate, praetulerat Heinrichius [1]). Iahnius eam invenit etiam in codice Montep. et fortiorem putavit [2]) quam alteram, quare postea, inspecta codicis Rom. collatione, et ipse eam recipiendam duxit [3]). Mihi vero vulgata praeferenda videtur et ob omnium reliquorum codicum consensum [4]), et ideo quod verbo *exstet* novam quasi notionem adiungat [5]). Hauthalius [6]), qui item vulgatam recte vindicavit, alteram lectionem, ut e simili significatione verbi *exstet* natam, e loco Hieronymi in textum irrepsisse arbitratur, Priscianum autem memoriae tantum lapsu *protenso* dedisse. Deinde, licet

---

1) Pag. 89.

2) In Annot. Crit. ad h. v. pag. 12.

3) In Prolegg. pag. CXCV, cf. CCXIV.

4) Nam, quum ceteroquin neque a Passovio neque a Iahnio, qui tamen Passoviana huius codicis collatione usus est, mentio fiat ad h. l. de lectione cod. Goth., unius Heinrichii de hoc codice silentium non tanti est, ut ideo iam statuamus, etiam in eo cod. exstare *protenso*. Lectionem *propense*, quam Hauth. l. modo l. affert ex cod. Bern. n. 648 (Iahn. B 4.), non indicavit Iahn.

5) In simili re Suet. dixit: » ventre proiecto," in vit. Ner. c. LI., et in vit. Tit. c. III: » ventre paullo proiectiore," quibus prioribus Suetonii verbis adhibetur noster versus a Iahnio; num recte, dubito; in Prolegg. p. LXXIX, nota 1.

6) Pag. 632.

propendere saepius occurrat sensu metaphorico, nostra tamen significatione legitur apud Cic. Tuscc. QQ. V, 17 et Colum. de R. R. VII, 12, praeter quae exempla, e Fabri Thesauro deprompta, nulla alia inveni [1]). Apud Iulium autem Capitolinum in vita Gordiani Iunioris [2]) Salmasius alio significatu *propensum* accipiendum putat, nempe ita ut respondeat graeco *κατωφερής*; alioquin hic quoque locus proprium vocabuli *propensus* usum probaret et optime se haberet de obscoeno inguine Priapeio [3]), cui ut melius esset accommodatum Salmasius aliquando legerat *protentioris*, quod etiam Casaubono haud displicuit; sed emendatione non opus est.

59, sq. *Nec manus* cet.] Etiam in his duobus versibus Persio negotium facessit Hauthalius [4]); primum dictionem *mobilis imitari* latinam esse negat, iudicans adiectiva a verbis derivata in *ilis* non posse cum infinitivo construi, si his adiectivis significetur finis actionis quae verbo exprimitur. [5]) Hanc ob caussam

---

[1]) Apud Suet. autem in vit. Galb. c. XXI. plurimi codd. praebent *praependebat*, ad quem locum, qui ceteroquin quam maxime faceret ad tuendum *propenso*, cf. Oudend. Etiam apud Mart. IX, 48, 4. plurimi habent *praependet.*

[2]) Verba quae occurrunt cap. XIX, Gordianorum Trium, haec sunt: »Appellatusque est sui temporis Priamus; quem vulgo iocantes, quod esset naturae propensioris, Priapum non Priamum saepe vocitarunt;" quo vidd. interpp.

[3]) Cf. Hor. Sat. I, 8, 5: »*porrectus* ab inguine palus."

[4]) In Mus. Rhen. Nov. Ser., VI (1847), pag. 310—318.

[5]) Eius verba, pag. 312, haec sunt: »ist auch sehr zu beachten, *dass kein einziges der genannten Adjective auf ilis eine Absicht, einen Zweck der in dem Verbum transitivum, von welchem es gebildet ist, enthaltenen Thätigkeit ausdrückt.*"

lectionem *mobilis imitari* spernit et aptiorem iudicat [1]) vulgatam, *mobilis imitata est* [2]); tamen, scholiastae nisus auctoritate, emendandum proponit *nobilis imitari*, quam lectionem non omni codicum firmamento carere existimat. De argumentis his singulis breviter videamus. Discrimen, quod in adiectivis in *ilis* animadvertisse sibi videtur, nimis subtile est quam ut propterea vulgatam missam faciamus. *Mobilis* enim is dicitur qui facile moveri potest, et similiter *nobilis* qui facile nosci potest [3]); *mobilis imitari* igitur is est qui manuum et digitorum motu agilis et dexter est in imitando, *nobilis superare* (Hor. Carm. I, 12, 26, sq.) qui eximius et clarus est in superando, quae significationes quid differant, ut alterum talem structuram admittere possit, alterum non possit, equidem non video [4]).

---

[1]) Suam hac de re opinionem, quam etiam in edit. Sat. I, p. 23, sq. indicaverat, clarius exposuit et contra Hermanni (Lectt. Perss. II, 16) obiectiones defendit, l. l. pag. 311.

[2]) Quam post Orellium, qui iam in 1ma edit. infinitivum receperat, huc usque solus tuitus erat cum E. G. Webero, quem vide pag. 31.

[3]) Adiectivis, pag. 312, ab Hauth., ex Ruddim. Instt. Gr. II, 225, et ibi n. 3, memoratis, addi potest *docilis* apud Luc. I, 326, qui praeter locum: »*faciles* dare, tueri *difficiles*," libr. I, 110 (non 105 ut a Ruddim. citatum est), etiam II, 657 *facilis* tali modo constructum habet.

[4]) De usu infinitivi in Horatii carminibus lyricis cf. omnino F. Lubkerus in lib. qui inscribitur: Commentar zu Horaz's Oden I—III, pag. 409—413 et imprimis de infinitivi usu post adiectiva, pag. 412, sq. ubi in duo ea divisit genera, alterum eorum quae facultatem indicant, in quibus infinitivus positus sit pro praepos. *in* cum ablat. gerundivi; ex. gr. Carm. I, 10, 7, sq. »callidus condere"; I, 12, 26, sq. »nobilis superare"; alterum eorum quae finem significant, in quibus infinitivus locum occupet praepos. *ad* c. accus. gerund.; ex. gr. I, 1, 18. »indocilis pati."

Quicquid autem est nostro loco *mobilis* multo accommodatius est quam *nobilis*. *Nobilis* enim parum apte dicitur in re viliore et leviore, ut de motione manus quae facile, ut ipse interpretatur Hauthalius [1]), imitatur asini aures. Non nego quidem *nobilis* nonnunquam dici in malam partem [2]), sed vel sic tamen semper famae aliquam celebritatem significat quam quis prava re nactus sit. Miror igitur Hauthalium hic *nobilis* commendasse, quo admittit idem vitium quod versu sequente in dictione *tantae linguae* reprehendendum putat [3]), de quo mox. Non enim poeta Ianum ideo beatum dicit, quod non irridetur manu quae ceteris praestat in imitando aures asininas, sed quod nulla omnino manus post eius tergum in derisionem flectitur. Quod vero ad scholiastae explicationem, *facilis*, *docta*, attinet, si ex ea aliquid colligere liceat, non dubito quin facile quisque consentiat, eam potius vulgatae lectioni *mobilis* quam propositae Hauthalii coniecturae quadrare, quum illa melius quam haec per *facilis* reddatur. Quod denique de codicum lectionibus addit,

---

[1]) P. 313.

[2]) Cf. etiam Boetticherus in Lexico Taciteo, pag. 320.

[3]) Pag. 317, sq. et ad pag. 317, nota ***, ubi legitur: »Wir erwarten hier blos die einfache Bezeichnung der Hundszunge, nicht aber die demonstrative Angabe eines Grades ihrer Länge, denn dieser müsste ja ein geringer sein. — Erhebe ich nun vollends diese demonstrative und comparative Angabe des Grades der Länge zu einem Eigenschaftsworte der Zunge und sage: » Ianus, den *nicht so grosse*, *nicht so lange Zungen*, als die durstige Apulische Hündin herausstreckt, d. h. die längsten verhöhnen," so kann daraus leicht gefolgert werden, dass ihn kleinere oder kürzere Zungen doch verhöhnen. Beides konnte und wollte der Dichter nicht sagen."

in hoc magnopere fallitur: dicit Heinsium lectionem *nobilis* invenisse »in vetustissimo codice," inductus, ut videtur, in hanc opinionem manifesto errore typographico in Epist. 357 (non 157, ut bis apud Hauth. l. l. pag. 313 et in nota ad pag. 310) in Burm. Syll. T. IV, pag. 432 [1]), ubi in citatis versibus Persianis pro *imitari nobilis* legendum esse *i. mobilis*, patet et ex totius loci dispositione, et ex Epist. seq. responsoria Graevii pag. 434, sq., et luculentissime ex ipsius Heinsii Adversariis I, 3, pag. 28, sq. ubi dixit: »in optimis membranis Leidensibus inveni — *imitari mobilis*." Eadem haec Adversaria alterum redarguunt Hauthalii errorem, quum scilicet inde appareat codicem, quo usus est Heinsius, non Bernensem fuisse, ut ille putat, sed Leidensem. Et procul dubio idem codex est ac noster Leidensis. Postremo Iahnius non ex cod. Bern. 257 (B 1.), ut ille narrat, sed ex Bern. 398 (B 5.) *nobilis* affert, quorum codd. Bernn. ille olim fuit Bongarsii, hic F. Danielis [2]). Etiam in versu sequente Hauthalio non probantur codicum lectiones, quorum alii exhibent *tantae*, quod cum Pithoeo, Casaubono [3]) et Schrevelio Hermannus, Iahnius et Duentzerus

---

[1]) Sic in edit. Sat. I, pag. 23 male dixerat, Burmannum in Sylloge *imitari* pro imperfecto accepisse; quem similem errorem erravit Plumius, dicens »praeeuntibus Heinsio et Burmanno," merito culpatum in eo a Pinzgero in cens. laud. pag. 296.

[2]) Cf Iahn. in Prolegg. pag. CXCVII et CC. E nostris codd. Voss. 3 et Periz. uterque habuit *nobilis*, quod in hoc a recentiore, in illo a prima manu correctum est.

[3]) Alteram tamen lectionem commendavit ut elegantiorem et planiorem, pag. 70. Cff. etiam Passov. pag. 284 et Herm. L. P. II, 16.

praetulerunt et tacite probasse videtur Teuffelius, alii *tantum*, quam lectionem reliqui omnes, quibus etiam Heinrichius [1]) accedit, dederunt. Merito autem *tantum* improbavit, vel quia minore nitatur auctoritate, vel quia glossae speciem habeat, vel denique ob ingratum homoeoteleuton. Alteram vero lectionem *tantae* (nam *tante* non esse vocativum, sed diversam modo eiusdem formae scripturam, non est quod memorem) non item. Concedo quidem pluralem *linguae* post singularem *manus* habere quod animum advertat, sed poetae non ita anxie numeros nominum servant, sed eos variare amant; nec, quod alterum congruae significationis verbum per zeugma supplere debemus, habet quo nos offendat; saepe enim verbum cum proximo substantivo convenit. Nec quod dictum est *canis Apula* sing. numero, nobis obiici potest, quum

---

[1]) Olim coniecerat (pag. 91, nota): *Nec linguam q. s. c. A. tendit*, quam emendationem merito condemnavit Hauth. l. l. pag. 317, n. ** Quod ed dit Achaintrius: *Nec linguae tantum — quantum*, paucis tantum, neque iis optimae notae, nititur codicibus. *Tantae* contra magnam accipit auctoritatem ex codd. Rom. et tribus Trevv. apud Heinr. (apud Iahn. vero non indicata est lectio cod. Trev. 1.) et praeterea e Voss. 1, Ebner. et Leid., qui duo postremi cum Trev. 2 etiam *imitari* exhibent. — Lectionem cod. Put. e quo Iahn. (P 1.) et Hauth. (Par. 8048) dederunt *tante*, quibuscum facit Casaub., non indicavit Herm. Similiter Iahn. omisit lectionem cod. P 7. e quo Hauth. (Par. 8055) affert *tantae*. Vs. 59 Iahn. dat *altas* (quod Reiz. et Koenig. (cf. Passov. pag. 283.) tacite in textum receperunt) ex uno cod. Guelf (W 1.), quod omissum videtur a Schneidewino, cui Hermannus (vid. Disp. II, 4, sq.) suam codd. Guelff. collationem debet, ut ipse dicit, disp. II, 16. Contrarium obtinuit vs. 55, ubi solus Hermannus, cuius collatio plerumque plenior videtur, ex his duobus codicibus deteriorem lectionem *dicito* profert. Cf. Teuff. in cens. l. p. 778.

ea de toto genere intelligi debeat. Falsus deinceps in eo est Hauthalius quod *quantum* in loco Lucani, (I, 259, sqq.) a Iahnio [1]) citato, pro adverbio habet, nostro autem versu pro adiectivo. Utroque enim loco *quantum* est neutrum, substantive positum et eodem modo elliptice dictum; apud Lucanum pro: tanta quies quantum silentium est quod arva silent; apud nostrum pro: tantae linguae quantum id linguae est quod canis Apula sitiat. Quod autem in utraque lectione reprehendit, eam nimis δεικτικῶς ipsam linguae magnitudinem emetiri, id tantum abest ut molestum sit, ut potius valeat ad vim comicam augendam. Praeterea etiamsi tollamus *tantum* vel *tantae*, nihilominus ad *quantum* nomen ei correlativum mente supplebimus, atque ita res eodem redibit. Lectionis autem quam ipse proponit vestigia in scholiasta se reperisse laetatur Hauthalius [2]), sed vereor ne nimis argute, ut etiam alibi [3]), eius verba sectatus sit. Coniecit igitur *caute*, vocativum ad *Iane* referendum, quod vocabulum, in nullo codice inventum, ad litterarum ductus lectioni *tante* non multum dissimile esse fateor. Sed quomodo haec scholiastae verba: »Ianus dicitur bifrons esse — per quem vult quemvis *sapientem* intelligi. Ac per hoc solus Ianus est *sapiens*, qui duas habet facies,'' tale quid significent, non intelligo. Sic Hermannus [4]), priorem vituperans Hauthalii opinionem [5]) *tantae* e

[1]) P. 93.
[2]) Pag. 318.
[3]) Cff. quae diximus ad v. 56, p. 68.
[4]) Lectt. Perss. II, 16, sq.
[5]) In edit. Sat. I, pag. 24.

glossa natum esse putantis, ipse ex scholiastae verbis: »aut protendunt *linguam* quantum canis Apula multa siti" efficere vult huius scholii auctorem non *tantum* sed *tantae* legisse; quod non maiorem veri speciem habet [1]. Sed Hermannus ipse subinde nimis subtilis est in eruenda genuina Persii lectione ex scholiastae verbis, et nimis facilis in auctoritate iis tribuenda [2]; ceteroquin de nostro loco omnino conferri meretur [3]. Sed redeo ad scholiastae verba de Iano. Ille propter id ipsum, quod bifrons et sapiens est, nulla cautione eget, sed per se omnia videt quae post tergum accidant; ceteros vero omnes, nisi stulti et stolidi merito audire velint, cautionem adhibere oportet. Denique quod ex Hauth. coni. post tam longum verborum intervallum demum adderetur vocativus *caute*, idque post enunciationem tertiae personae, id valde offendit.

67. *Sive opus in mores, in luxum, in prandia regum*] Pro postremo *in* Heinrichius [4] recipiendum duxit *et*, quod pauciores tantum praebent codices [5].

---

1) Ex scholiastae verbis potius ortam dixerim Heinrichii coniecturam, quam memoravimus pag. 76, nota 1.

2) Cf. Duentz. in praef. pag. 3; Teuff. in Animm. pag. 105 et Prell. in cens. l. p. 1141, sq.

3) In Disp. II, 15—17.

4) P. 92.

5) Praeter eos e quibus Iahn. hanc lectionem affert, eam habent Heinr. Trev. 3 et ex optimis Herm. Leid. et Guelf. A, in quo codice secundum Iahn. (W 2.) *in* invenitur. Nititur porro nostro Voss. 1. et secundum Passov. (pag. 285, sq.) codd. Monacc. 2 et 3, quum contra apud Iahn. ex codd. Monn., qui cum Passovianis conveniunt, 5 et 6 (Pass. 3 et 1.) *et* exhibent. *Et* etiam dede-

Recte autem Iahnius et Duentzerus *in* retinuerunt, quod etiam Hermannus [1]) commendavit, scholiastae praesertim et Prisciani usus auctoritate. Huius autem et sequentis versus sententiam optime interpretatus est Duentzerus [2]), qui, optimam secutus lectionem, non tantum cum Heinrichio (de cuius ceteroquin interpretatione non constat) et Iahnio *in* pro *de* [3]) accipit, sed etiam *opus* recte explicat [4]). Est enim nostro loco verbum impersonale, non substantivum. Significatio autem, quae idem fere valet ac *necesse*,

---

runt Bond.; Achaint.; Orell.; E. G. Weber., pag. 31; Ritter. l. l. pag. 54 et Pinzg. in cens. edit. Plum. supra l. pag. 297; ubi tamen male pro secundo *in* coniecit *seu*, improbans explicationem Orellii et Plumii particulae *sive* pro *vel si*. *In* vero tacite probavit Bourdelot. ad Petron. c. V, pag. 25 Burm. Ipse Bourdel. consilium susceperat Persium edendi, ut memorat Passov. pag. 151, sq. n. 77, ex alius opere edoctus.

[1]) L. l. II, 17, sq. ubi tamen non tanti esse, utrum *in* an *et* legamus, vere arbitratur. Locum Prisciani (XVIII, 23, pag. 1173.) iam attulerat Passovius (cf. pag. 285, sqq.), qui tamen lectione *in* usus est, ut inde argumentum peteret quo suam coniecturam *an* fulciret, quod vocabulum ob praecedens *sive* grammaticam, quae dicitur, verborum structuram flagitare dicit. Sed recte hanc particulae *sive* usum illustrarunt E. G. Web., Heinr. et Iahn. ad n. l. De eius usu porro conferri possunt Periz. ad Scioppii verba in Sanct. Minerv. IV, 7, 12 et Oudend. ad locum (quem affert Heinr.) Caes. de Bell. Civ. III, 25. — Vs. 65 Herm. (l. l. III, 6.) dedit ex cod. Trev. (D.) *scis;* apud Heinr. contra omnes codd. Trevv. habent *scit.*

[2]) P. 21: (Grossen
» Will er nun grade von Pracht, von Sitten und Mahlen der Singen, erhabenen Stoff leiht unserem Dichter die Muse."

[3]) Simili modo ea praepositione usus est Cic. de Off. I, 9. (cf. Ern. in clave) et Augustus in Epist. ad Tiber., apud Suet. in vit. Tib. c. XXI.

[4]) Ita etiam Pinzger. l. l.

non nimis stricte accipienda est [1]), quum potius verti debeat *lubet* [2]). Quod vero ad nexum sententiarum attinet, quo hi versus inde a vs. 63 prioribus annectuntur, recte eum perspexerunt Heinrichius [3]) et Teuffelius [4]), qui verba *quis populi sermo est* ipsi poetae tribuunt, quum alii etiam hic de adversario cogitant, qui quidem non unus semper et idem est, sed varias partes agit, ut post Passovium bene animadvertit Iahnius [5]).

69. *Ecce modo heroas*] Pro hac omnium codicum, uno vel duobus exceptis [6]), lectione in edit. Heinrichiana ex Casauboni coniectura receptum est *heroos* [7]),

---

[1]) Ut fecit Hermannus in sua huius loci explicatione, quam ex Allg. Schullzeitg., 1833, pag. 330 summatim repetivit in Lectt. Perss. II, 18, n. 28; sed merito eum redarguit Teuffel. in Animadvv. pag. 103. — Ipse vero Teuffel., qui nostrum locum pag. 102, sq. bene enarravit, in versione tamen *in* male cum Hermanno interpretatus est *adversus*. G. E. Weberus, h. l. male de Satira cogitavit ideoque suspicatus est poetae incuria mentionem carminis epici omissam esse, atque ita etiam nostrum versum argumento esse Persium revera suis Satiris non ultimam adhibuisse manum, pag. 199, sq.

[2]) Cf. Graecorum χρή; sic v. c. apud Soph. Antig. vs. 874: εἴτε χρῇ θανεῖν.

[3]) Pag. 91.

[4]) Pag. 102. Iis fortasse iam praeiverant Casaub. et Koenig.

[5]) Passov. pag. 202, sq. et 237, sq., Iahn. p. 89 et LXV, n. 2.; cf. etiam Teuff. pag. 44, sq. et quae de ea re disputavit Koenig. in prooem. ad suam edit. pag 19.

[6]) Cod. Hauniensi 1°, apud Iahn. ex collatione Plumiana. Secundum Varias Lectt. in edit. Heinr. in cod. Goth. exstaret *heroos*, contrarium vero ex editt. Passov. et Iahn. patet.

[7]) Pro altero *heroos* in edit. Heinr. pag. 93 legendum est *heroas*, ut iam animadversum est in corrigg. et a Teuff. in cens. l. p. 784. — Recte Iahn. in Addendis, pag. 403, locum Propertii

qua tamen emendatione non opus est. Substantivum adiectivi loco positum est, ut apud Hor. Carm. I, 4, 16 »fabulae manes" et Mart. XII, 4, 4: »charta anus" [1]). Similiter Graeci; ex. gr. ὕβρις ἀνήρ, Hesiod. Ἔργ. κ. ἡμ. v. 191; ὄλεθρος Μακεδών, Demosth. Phil. III, 31. Nec plane dissimilia sunt ea exempla in quibus duo substantiva copulantur, quorum alterum metaphoricum est, ut apud nostrum in Prol. vs. 13: »corvos poetas et poetridas picas" [2]); Sat. V, 30: »custos purpura" et VI, 74: »popa venter." Neque in eo probandus Heinrichius [3]) quod pro vulgato *videmus* reposuit *docemus*, praeeuntibus Pithoeo et Ca-

---

II, 1, 18, quem ad n. l. pag. 97 contulerat, nihil probare dicit. Heinr. eundem citasse videtur ad Casauboni conicturam probandam.

[1]). Cf. porro Fabri Thes. Gesn., ubi in voce *anus* alia huius vocabuli usus exempla collecta sunt; ut Catull. LXVIII, 46 et LXXVIII, 10; Mart. VI, 27, 8 et Plin. H. N. XV, (19) 21. In altero autem, qui ibi affertur Plinii loco, H. N. XVII, (5) 3, *anus* prorsus est substantivum, sed ostendit quomodo praesertim hoc vocabulum *anus* per comparationem adiectivam significationem acceperit. Lubet locum adscribere: » Est enim interpretatione vitiorum quaedam, non aetate (quae nulla in ea intelligi potest) sed natura sua, anus terra: et ideo infecunda ad omnia atque imbecilla." Exempla vero quae ad n. l. attulit Passov. (pag. 290) non huc pertinent. In loco enim Cic. de Senect. c. XIV, suppleri debet *sunt*, quod in nonnullis codd. additur; diversi porro generis sunt verbalia in *tor* et *trix* (cum quibus conveniunt *domina hasta* apud Iuv. III, 73; *filia virgo* apud eund. v. 110; alia), quae mobilia plane adiectivorum formam habent et satis frequenter adiective posita occurrunt. Cff. Ruddim. Instt. Gr. II, pag. 4, n. 4 et pag. 38, n. 82 et quae dedit Bentl. ad Hor. Carm. IV, 9, 39 cum vocabulo *animus* coniuncta.

[2]) Cf. de eo loco Passov. pag. 230.

[3]) Pag. 93.

saubono [1]. *Videmus* enim quod, plurimi codices [2] et Scholiasta commendant, unice sententiae accommodatum est, ubi non agitur de studiis in rhetorum scholis [3], sed de poetastrorum periculis. Multi tamen interpretes *nugari Graece* interpretantur de scholarum exercitationibus, vel de prima puerorum institutione quae ad litteras Graecas spectabat; ita nuperrime Duentzerus, vertens: » Griechisches Thema gemacht" et prior Hermannus, quem recte in eo refellit Teuffelius, qui optimam Iahnii explicationem sequitur, *nugari Graece* intelligens de parvis et levibus (*Anacreonticis*, Teuff.) carminibus graecorum more factis. Eandem opinionem de hoc loco habuit Heinrichius et iam multo ante Bondius in ecphrasi ad h. l. Adverbium *modo*, quod plurimi [4] cum *afferre videmus* coniungunt, Duentzerus vero cum *nugari solitos Graece*

---

[1]) Qui tamen, pag. 72, vere animadvertit huius Sat. vss. 19 et 80 lectioni *videmus* favere. *Videmus* iam invenit Hauth. (l. l. pag. 25, sq.) in antiquissima edit.; merito igitur culpat Passov. dicentem, pag. 291, omnes editiones ante Reizium exhibere *docemus*. Etiam Farnab. et Bond. iam dederant *videmus*.

[2]) Passov. *videmus* invenit in codd. Monacc., sed ex M 4. (Pass. Mon. 2) Iahn. affert *docemus*. Sic Heinr. in codd. Trev. 1 et Goth. legisse videtur *docemus*; at Passov. e Goth. alteram lectionem affert; e silentio Iahn. colligeremus eum etiam *videmus* in his duobus invenisse. Similiter statuerem de palimps. Vat. lectione, nisi Herm. (l. l. II, 19) e Maii silentio collegisset in eo exhiberi *docemus*, quod etiam habet cod. Leid.

[3]) Casaub., pag. 72; Koenig. pag. 27; Passov. in vers., cf. pag. 289, sq.; G. E. Weberus pag. 200; Herm. l. l. II, 19. Cff. Heinr. pag. 92, sq.; Iahn. pag. 96, sq. et Teuff. pag. 103.

[4]) Farnab., Bond., Passov., Heinr., Iahn. et quodammodo Teufel., qui tamen non ut reliqui *modo* interpretatur *iam nunc*, sed *derepente*.

copulare videtur, equidem iungere malim cum *ecce: Ecce modo*, h. e. vide modo; — ita concinnior est sermo et continet exemplum artis peritiae modo e vulgi sententia tantopere iactatae. Exempla constructionis huius vocabuli *modo* cum imperativo (cuius locum *ecce* recte tenet) dedit iam Heinrichius [1], cui tamen prior interpretatio magis placet. His addi possunt Cic. ad Divv. VII; 2. »vide *modo*;" Ovid. Mett. XV, 583. »tu *modo* rumpe moram;" vs. 659, sq. »hunc *modo* serpentem — perspice;" Fastt. V, 689. »da *modo* lucra mihi" et VI, 379, sq. »tu *modo* — effice."

74. *Cum — uxor*] Recte Heinrichius et Iahnius lectionem *cum — dictatorem* [2], quam non numerosi quidem sed optimi habent codices [3], praetulerunt

---

[1]) Pag. 93.

[2]) Iahnio tamen, in Annot. Crit. ad n. l. p. 15, non displicet coniectura Heinsii *cui — dictatorem*, quam proposuit ad Ovid. Mett. VI, 629; quem dativum pronominis affert Iahn. ex cod. Put. (P 1.) e quo Herm. (K) *qui* dedit. Antea optimam lectionem iam dederant Casaub., Bond., Reiz., Koenig., Passov., Orell. et G. E. Weberus in vers.

[3]) Praeter memoratos a Iahn. (e nostris solus Voss. 1 a 1ma manu habet *cum*, ceteri *quem* et omnes *dictaturam;* cff. quae diximus pag. 29) *cum — dictatorem* etiam dant cod. Rom. apud Heinr. et Ebner. apud Herm. (Lectt. Perss. III, 7; cf. II, 20). Sed etiam h. l. non consentiunt codd. lectiones quas afferunt varii interpretes. Sic Passov. (pag. 294) dicit totum versum 74 deesse in cod. Monac. 1 ex quo cod. Iahn. (M 6.) optimam dedit lectionem. Idem *quem* ex cod. Roth., Iahn. (M 11) *cum.* Trev. 2 (in quo cod. omnia desunt a v. seq. usque ad Sat. III, 50) apud Heinr. *cum*, apud Herm. (D) *quem.* De cod. Put. iam vidimus. Porro cod. Goth. apud Pass., Iahn. et Heinr. habet *dictaturam*, sed apud postremum huic vocabulo suprascriptae sunt litterae *o* et

alteri, *quem — dictaturam*, quam Hermannus [1]) verissimam putavit et recepit Duentzerus; Teuffelius [2]) quoque *cum — dictaturam* mavult. Argumentum, quod Hermannus petiit ex Scholiastae interpretatione pro tuenda lectione *quem*, claris verbis refutavit Teuffelius; neque idem Herm. *dictaturam* ex Sidonii Apollinaris (VII, 384, sqq.) versibus defendere debuerat, cuius testimonium non magni ponderis esse animadverterat Hauthalius, cum quo conf. Iahnius. Lectionem, *dictatorem induit uxor*, unice veram puto, neque intelligo quomodo Teuffelius, cuius ceterae rationes haud maioris momenti sunt, etiam ideo hanc spernat, quod nihil aliud significare possit quam »ipsa vestem dictatoriam induit," prae eaque alteram *cum — dictaturam* commendet. Cincinnatus scilicet, iam statim postquam

---

e. Trev. 1 *dictatura* apud Heinr., *dictaturam* apud Iahn. — Guelff. apud Iahn. alter (W 1) *dictaturam*, idem apud Herm. (B.) *dictatura;* alter contra apud Iahn. (W 2) *dictatura*, apud Herm. (A.) *dictaturam.*

[1]) L. l. II, 19, sqq. et in Disput. continens: Analecta de aetate et usu scholiorum Persianorum, Gotting. 1846, pag. 17. Antea hanc lectionem iam commendaverat Pinzgerus et receperat Plumius; cf. Pinzg. in cens. l. p. 297. Improbarunt vero E. G. Weberus, pag. 31 sq.; Hauth. in edit. Sat. I, pag. 26, sq. (cf. Herm. l. l. II, 20) et Iahn. in annot. crit. ad n. l. et in cens l. p. 1112, ubi, ut etiam in Addendis ad suam edit, pag. 401, insolitae structurae *induere aliquem aliquid* non satis firmum patrocinium dare dicit locum Stat. Silvv. II, 7, 124, quem adduxerat Herm. l. l. II, 21, eumque dubium vocat; sed rursus Statii locum defendit Herm. in disp. modo l. pag. l. Ipse vero Hauthal. l. l. defendit *quem — dictatorem*, quam lectionem exhibent editt. Farnabii et Schrevelii, quaeque potior videtur Prellero, in cens. l. pag. 1146.

[2]) Pag. 104, sqq. cf. pag. 58 nota. Ita iam excudi curaverant Achaintrius et E. G. Weberus.

dictator dictus erat, hoc nomine iure appellari potuit; praeterea *induere dictatorem* proleptice accipi potest, ut fecit etiam Heinrichius [1]), quo significat: induit ut rite dictator esset. Licet autem *induere* absolute positum apud alios scriptores Persio aequales non occurrat, eodem tamen modo legitur participium apud nostrum Sat. III, 106: »capite *induto*," ubi similiter dictum est de solemni insignium oblatione qua munus vel immunitatem aliquis accipiat. Sic apud Claud. de VI Cons. Honor. v. 650, seq.: » quem non aliena per arva *Induit* hospes honos." Similiter Lactantius (qui, ut plures Patrum ecclesiae, Satirici nostri lectione maximopere delectabatur [2])) de Mortt. Persecc. c. XVIII, 12 (ad quem locum cf. Buenem.) passivo usus est: »ut ab eo *induatur*." Saepius autem *exuere* absolute usurpant scriptores; ex. gr. Mart. III, 68, 4: *exuimur* et Tac. Ann. I, 2: » *exutoque* Lepido," ubi similiter de munere vel imperio dicitur quod Lepido auferebatur, quo sensu rursus apud eundem Lactantium in eodem libello occurrit, c. IX, 10 (ibique Buen.): » *exuto* socero" et c. XX, 2: » hunc — vel invitum *exuere* facile videbatur." — Ceterum verba, *unde Remus — tulit,* in parenthesi posuit Heinrichius et *Euge poeta* cum praecedentibus coniungendum esse dixit, quam ob caussam, non indicavit. Recte vero

---

[1]) P. 94. Ita verterunt etiam G. E. Weberus: «zum Dictator Dich anzog," et Duentzerus, quamvis aliam secutus lectionem: »zum Dictator tripplend bekleidet."

[2]) Cf. Iahn. in Prolegg. pag. L, seq. Vidd. porro de ea re Koenig. in Prooem. pag. 27., Heinr. pag. 61. et Teuffel. pag. 48.

eum verba sic descripsisse arbitror, si vss. 73—75 contineant historicam recordationem quam Persius h. l. ubi de rure agitur inseruerit. Similiter Teuffelius [1]) putat, Persium inde a vs. 71 usque ad verba, *Euge poeta, παρῳδεῖν*. Equidem credo, poetam verbis, *ubi corbes — foeno* respicere poema aliquod, in quo prolixa et frigida vilium istarum rerum descriptio exstaret, eumque has res strictim tantum memorare ut indicet, poetas istos ne vilissimas quidem res apte carminibus intexere posse. Tale quid in his versis latitare iam suspicatus erat Casaubonus ad vs. 71, sq. [2]).

86, sq. *doctas posuisse figuras*, cet.] Vulgata lectio *doctas*, quam omnes praebent codices [3]), cum Heinrichio, ex Scaligeri coniectura, quae Casaubono [4]) arridebat, non in *doctus* mutanda est. *Docti* dicuntur *medicatus* (Ovid. Herr. XII, 165 [5])); *doctae notae* (apud eundem XX, 220) et *artes* (Mett. IX,

---

[1]) P. 104.

[2]) Edit. l. pag. 73.

[3]) Ex Heinrichii tamen silentio pateret eum, *doctus* invenisse in cod. Goth., sed aliorum silentium aliter docet. Vs. seq., praeter codd. quos Iahn. memorat in annot. crit., *laudatus* habent palimps. Vat. (cf. Iahn. pag. CXCVI) et cod. Leid. — Cod. Rom. habet *laudatis*, quae lectio etiam exstare videtur in Mp. (cf. Iahn. p. CLXXXVIII.), licet Iahn. in Ann. Crit. ad n. l. (coll. p. CXCVI) ex eo cod. *laudatus* dederit.

[4]) Pag. 77 et in Pers. Horat. imit. pag. 205. Cff. Heinr. pag. 98; Passov. pag. 303 et Hauth. in edit. Sat. 1, pag. 41. *Doctus* etiam probasse videtur Bentl. ad Horat. Sat. 1, 10, 78; cf. Iahn. in Add. pag. 401.

[5]) Ubi (teste Bachio ad l. Met. mox l.) Ruhnk. annotavit: »saepe tribuitur rebus vel instrumentis, quibus quid a docto et perito artifice perficitur.”

743 sq.); *docta falx* (Prop. II, 15, 12). Sic *labor doctus* apud Phaedr. l. II, epil. v. 14 et l. III, prol. v. 26; apud Stat. Silvv. II, 7, 3, *doctum ostrum* et vs. 12, *docti amnes*. Apud Plin. in Epistt. *doctissimi sermones* (III, 7, 5 et VII, 25, 3) et *docta mobilitas* (VII, 9, 11). Eodem modo Cic. de Nat. D. II, 18 *eruditum* dicit *pulverem*. Pro antiquissimarum editionum lectione *bellum hoc bellum est*, quod varie in his distinguitur [1]), primus, quod sciam, Pithoeus edidit *bellum hoc! hoc bellum?* et similiter post eum Casaubonus aliique [2]). Hanc lectionem relictam a Passovio [3]), Plumio, Hauthalio [4]), qui veterem receperunt, et ab Achaintrio, Orellio et E. G. Webero, qui *bellum hoc* iterarunt, denuo Heinrichius, Iahnius et Duentzerus [5]) revocarunt: recte hi, quibus etiam calculum adiicere videtur Hermannus [6]), quamvis de genuina lectione dubitans, quum deterrimam vocet hoc loco eiusdem membri repetitionem, sed merito postea [7])

---

1) Cf. Hauth. l. l. pag. 29, sq., ubi etiam *bellum hoc bellum hoc* ex nonnullis, sed paucioribus, editionibus affert.

2) Farnab., Bond., Schrev., Reiz., Koenig.

3) Pag. 303.

4) Petiit suam lectionem, praeterquam ex editt. antiquissimis, praesertim ex codd. vetustissimis Parisiensibus quatuor, duobus modo memorandis et n. 8048 (Iahn. P 1), ex quo etiam Herm. (K.) hanc lectionem affert et n. 8049 (Iahn. P 4), quorum lectiones nostro loco non indicavit Iahn., qui ceteroquin codd. Pariss. non antiquiores aestimat seculo XI, quum Hauth. cod. n. 8070 (Iahn. P 3) et 8272 (Iahn. P 5) seculo X adscripsit; cf. Hauth. l. l. pag. 30 et Iahn. pag. CCVI, sqq.

5) Eam lectionem etiam Teuffelium praeferre ex eius versione patet.

6) Lectt. Perss. II, 21, ibique in nota 33.

7) In disput. Gotting. 1846, pag. 16.

hoc bellum scribi passus est. Licet enim codd. pauciores [1]) quidem *bellum hoc*, *hoc b.* exhibeant et paucissimi [2]), sed optimi, alterum *hoc* omittant, facile tamen inde caussa explicari potest corruptelae qua librarii *est* intruserunt, ut iam animadverterunt Hermannus et Iahnius [3]). Similis error in codd. irrepsit vs. 111, ubi plerique quidem dant *omnes etenim*, sed alii variant, modo *etenim* omittentes [4]), modo *omnes* iterantes [5]), quae varietas corruptelam indicat,

---

[1]) Praeter codd. a Iahnio memoratos hoc exhibet Ebner. apud Hermannum, cui etiam palimps. Vat. auctoritatem accedere idem putat; Lectt Perss. II, 21.

[2]) In his cod. Leid., et a sec. demum manu noster Periz. Eadem lectio exhibetur e cod. Rom. apud Heinr. Sed errore fortasse typographico ibi ex cod. Goth. ea lectio indicatur, quum apud Passov. et Iahn. ex illo cod. *bellum est* afferatur. Sic etiam in vv. ll. in edit. Heinr. post *bellum est* non *Tr* 1. sed *Tr* 3. legendum videtur, quum huius cod. lectio non annotata sit et ipse Heinr. cum Iahn. *bell. h. bell.* ex cod. Tr. 1 citaverit. Denique Herm. l. l. ex codd. Guelff. dedit *bellum est;* sed secundum Iahn. in Gudiano (W 1. = B.) *est* suprascriptum est et alterius cod. Guelf. (W 2. = A.) lectio ab eo non indicata est.

[3]) Herm. l. l. in nota; Iahn. in Ann. Crit. ad h. l. pag. 17. Ceterum de omissionibus in codd. Mp et Rom., cf. Iahn. in Prolegg. pag. CLXXXIX.

[4]) Sic Rom. et Mp., cuius lectionem indicare omisit Iahn. in Ann. Crit., sed cff. eius Prolegg. pag. CLXXXIX. In cod. Ebner. (vid. Herm. Lectt. Perss. III, 8; cf. Passov. pag. 343) demum a posteriori manu additum est. Teste Heinr. (pag. 108) etiam in cod. Achaintrii versus iste legitur omisso *etenim*.

[5]) Id, praeterquam in codd. qui a Iahn. memorantur, exstat in solo cod. Leid et in nostro Periz., sed hic demum a sec. manu. Hermannus vero *etenim* invenisse videtur in collatione cod. Put. qua usus est; Iahn. contra genuinam lectionem ex eo cod. dedit. Verum alio etiam modo hunc versum explere conati sunt librarii, ut patet ex cod. Oehleriano altero (Q.) apud Herm., in quo legi-

cui, eodem modo ac nostro loco, recte ex codd. medelam attulit Pithoeus [1]); sed ibi quoque primus Passovius, codicum et antiquarum editionum abusus auctoritate, ad deteriorem lectionem deflexit. Recentissimi autem interpretes [2]) omnes optimam secuti sunt lectionem, quam Iahnius in textum quidem nondum receperat, sed in prolegomenis demum commendavit. Vs. 90 Heinrichius perperam, pro omnium fere et optimorum codicum lectione *portes*, dedit *portas* [3]); etenim res tantum exempli gratia a poeta proponitur.

92, sqq. *Sed numeris decor* cet.] Venimus ad locum difficillimum in quo enucleando mire se torserunt interpretes, qui omnes diversis modis eam expedire conati sunt [4]). Ac partim quidem haud facile Oedipum aliquem inventum iri speres, qui omnia plana et expedita faciat: temporum enim iniuria perierunt carmina, e quibus desumta sunt exempla quae poeta tangit, ut his inanes poetarum artes et perversum

---

tur: *euge omnes bene mirae per me eritis res*, et ex nostro Periz. ubi a 1ma manu *omnes per me bene mire;* quae depravatio verosimiliter in textum irrepsit e vs. praecedenti.

[1]) Vid. Passov. pag. 343. Post illum Casaub., Farnab., Bond., Schrevel., Reiz. et Koenig. illam lectionem receperunt; cf. etiam Bentl. ad Hor. Sat. 1, 10, 78.

[2]) Cff. imprimis Heinr. pag. 108; Herm. Lectt. Perss. III, 8 et Teuffel. pag. 59, in nota. Vid. Iahn. in Prolegg. p. CXCV.

[3]) In vv. ll. apud Heinr. ad nostrae Sat. v. 90 pro *portas* verosimiliter legendum est *portes*. *Portas* autem inveni in cod. Leid., qui non indicatus est ab Hermanno.

[4]) Cff. imprimis quae Meisterus in peculiari disput. supra laudata, Passov. in edit. pag. 304—337, et Ritterus in dissert. saepius laudata pag. 57—94, de aliorum huius loci interpretatione afferunt quaeque ipsi de eo disputant.

carminum pangendi morem vituperet. Partim tamen locum nostrum non tantis difficultatibus laborare puto, si modo libero ab omni praeiudicata opinione iudicio eum legamus et simplicissimam interpretandi rationem ineamus. In nostra autem satira plerique interpretes multis in locis de adversario cogitarunt quem Persius secum loquentem faciat: talem personam etiam hic somniarunt [1]; quem si sibi non finxissent, hoc loco in tam diversas opiniones non abiissent, quas omnes enarrare longum est. De recentissimorum tamen editorum commentis breviter videamus. Iahnius [2]) vs. 92—95: *Sed numeris — Apennino*, monitori tribuit, duos versus sequentes ipsi poetae et rursus vs. 98—102: *Quidnam igitur — assonat Echo*, adversario dat. Sed ut unum tantum argumentum contra hanc interpretationem afferam, vs. 28 verba *laxa cervice*, ut merito Heinrichius [3]) monuit, non possunt dicta esse ab adversario, sed ipsi poetae tribuenda sunt, quum hisce verbis, item vocabulo *tenerum*, pravae quas in recitationibus adhibebant artes derideantur. Ipse vero Heinrichius [4]) a versu 92—97: *Sed nu-*

[1]) Ita etiam vs. 119 *Nusquam* plerique adversario tribuunt: Casaub., Farnab., Schrevel., Koenig., Passov., uterque Weberus, Ritterus (l. l. pag. 82, cf. pag. 32, n. 35), Iahn., Duentz., Teuff. Melius autem Bond., Hauthal. et Heinr. (pag. 112) ipsi poetae dant, ut et nostri codd. Leid. et Voss. 1 et 3. Heinrichium tamen vellem post *nusquam* signum interrogandi posuisset, quod talis distributio requirit.

[2]) Eius personarum distributio patet ex contextu quem dat; nam in ipsius loci explicatione, pag. 102—109, nihil de ea animadvertit.

[3]) P. 103. Cf. etiam Meister. pag. 43, sq.

[4]) Pag. 100, sqq.

merus — *subere coctum*, omnia existimat esse verba adversarii, quae autem deinceps sequuntur, poetae. In hac versuum descriptione id praecipue offendit, quod versus 96, *Arma virum* cet. ita parum cum praecedentibus cohaeret, ut ad nexum intelligendum aliquid mente suppleamus necesse sit. Eodem vitio laborat etiam Duentzeri distributio, solummodo vs. 96 et 97: *Arma virum* — *subere coctum*, monitori tribuentis. Teuffelius [1]) contra tribuit solummodo hos duos versus cum sequente ipsi poetae, sed quod ad sensum attinet, eius distributio multo melior est quam reliquorum. At vero si scholiastae vestigia sequentes cum Iodoco Badio Ascensio, Reizio, Koenigio, Meistero, Orellio, Hauthalio [2]) omnia haec verba poetae tribuamus, nihilque monitori adsignemus, totius loci lectionem multo expeditiorem exsistere non est quod dubites [3]): et simplicissima interpretandi ratio sane sequenda est. Nostrorum itaque versuum sensum talem mihi informo: »Sed nostri homines, si non possunt negare vera esse vitia quae poetis imputo, tamen eo gaudent quod carmina saltem pangant, quae numerorum decore et

---

[1]) Horum duorum interpretandi noscitur solum ex illorum versione.

[2]) Quem vide in edit. Sat. I, pag. 32, sq. — De Orellio eo loco mentionem fecit, ita etiam Heinr.; equidem in 2[da] illius edit. versum 98 ita excusum inveni, ut quasi ab editore adversario tribueretur.

[3]) Cf. etiam G. E. Weberus, in Animm. ad h. l. pag. 202, »— ist nicht nöthig, dass man sich den Zwischenredner, eine Bemerkung einschiebend, denke: vielmehr macht Persius selbst, im Sinne der gewöhnlichen Ansicht, diese Bemerkung." —

iunctura anteriorum poetarum carminibus praestent: quales sunt qui laudantur clausulae et versus:

Berecyntius Attis,
Et: qui caeruleum dirimebat Nerea delphin,
Sic: costam longo subduximus Apennino.

At, per divinum Maronis carmen [1]), nonne talia poemata tumida sunt et inflata et sine vigore impolita, ut vetus suberis ramale cui vegrandi cortice omne robur ademtum est. Quid enim? suntne ea tenera, suntne laxa cervice legenda, ut mos est nostrorum hominum? rell." Sic, ni fallor, omnia rite procedunt, neque nos morabitur Heinrichii [2]) dubitatio obiicientis nullo exemplo probari posse, poema dici pro scriptore et scriptorem pro ipsius mortui manibus. Id vero ne probatu quidem opus est. Poeta enim, increpans aequalium suorum vitia, invocat et testatur Maronis carmen *Arma virum*, tanquam ingenii et artis exemplar, in quod merito omnes intueri decebat, ut eo ostendat, quantum seriorum ampullae ab huius praestantia distarent. Similiter antiquam virtutem, fidem, religionem testari et invocare solemus. Ceterum *arma virum* saepe pro Aeneide poni solitum: valet ergo idem ac si Aeneida vel Aeneidos poetam invocasset. In versu sequenti omnes fere iique optimi codices habent *praegrandis* [3]), sed hac in re potius

---

[1]) Cui iam mature non defuisse obtrectatores, ostendit Dial. de Orat. c. XXIII, et verba Senecae apud Gell. N. A. XII, 2.

[2]) P. 101.

[3]) In nostro Voss. 1 legitur *prae grandis* et suprascriptum *sive ex vel in.*

cum Hermanno [1]) et Iahnio [2]) veterum grammaticorum [3]) obtemperandum est auctoritati, qui *vegrandi* e Persio afferunt. Quamquam Hermannus postea [4]) *praegrandis* non amplius tanto optimarum auctoritatum (optimos intelligit codices et scholiastam) consensui negandum esse censuit. Post *igitur* vs. seq. Pithoeus [5]) et Hauthalius signum interrogandi ponunt: *Quidnam igitur?*..... quae distinctio, etiam commendata nostris codd. Leid. et Voss. 1, neutiquam displicet.

110. *Per me equidem*] Sic ad unam omnes fere editiones [6]) et codices. Solus autem textus Heinri-

---

[1]) L. l. II, 2, sq. ibique nota 34. *Vegrandi* etiam commendavit Muncker. ad Myth. Latt. II, 301; optime defendit Meister. l. l. pag. 40, sq.; cf. praeterea Ritter. l. l. pag. 26. In textum tantum, quod sciam, receperunt Passov. (quem praesertim vide pag. 319, sq.), E. G. Weberus, pag. 33, Plum. (cf. Pinzg. in cens. l. pag. 298, ubi hanc lectionem probat) et nuperrime Iahn. (pag. 105, sq.). Contra Heinr. (pag. 135 sq.) acriter alteram lectionem defendit.

[2]) In Prolegg. pag. CCXIV; cf. pag. CXCI.

[3]) De Servii tamen testimonio ad Virg. Aen. XI, 553 dubitatur. Heinr. ex eo *praegrandi* tuetur; Iahn. contra suam lectionem, quam (teste Herm. l. l.) etiam Lion. in Servii edit. praetulit; equidem in Servii edit. (Colon. Allobr. 1610) qua utor, *vegrandi* inveni. Sed, ut merito animadvertit Hermannus, gravissima est Horatii scholiastae auctoritas. Sic etiam apud Comment. Cruq. (edit. 1597) ad Hor. Sat. I, 2, 29 *vegr.* legitur.

[4]) In Disput. Gotting. 1846, pag. 14.

[5]) Vid. Passov. pag. 322.

[6]) Passov. pag. 343 *quidem* affert ex editione Veneta, sed annum et locum indicare omisit. Videtur ea esse Veneta, impressa anno M. CCCC. LXXXII. Mesis Decebris Die: XXIIII. Per me Magistru Renaldu De Novimagio Theutonicu (non *Iheutonico*, ut habet Hauth. l. l. pag. XXV), cuius exemplari gaudet bibl. Acad. Ultraiect., in quo hanc lectionem inveni. Eandem etiam ex hac edit. affert Hauth. l. l. pag. 36.

chianus exhibet *quidem*, qua tamen mutatione non opus est, quum etiam alibi *equidem* apud Persium legatur secundae personae iunctum, Sat. V, 45 [1]). De harum particularum usu et confusione conferri merentur: Passov. ad n. l. pag. 340; Ruddim. Instt. Gr. I, 322, n. 5; Ernest. in Cl. Cic. in v.; Interprr. ad Curt. V, 13, 3; Cort. ad Plin. Epistt. II, 20, 11 et Boettich. in Lex. Tacit. in v. — Versum autem 115:

Secuit Lucilius urbem,
Te Lupe, te Muci, et genuinum fregit in illis,

quem intactum reliquerunt omnes qui data opera Persium explicuerunt, sollicitarunt Dousa in Commentariolo ad Horat. c. IX. [2]), ubi pro *in illis* legit *Iulis*, et Scriverius [3]), qui mavult *inultus.* Nuperrime vero doct. Estreius [4]), improbata Dousae coniectura, alteram proposuit *Asellis*, et intelligit Asellum Tribunum plebis in quem Cic. de Orat. II, 64. dictum facetum memorat Scipionis. Asellum istum revera perstrinxit Lucilius IX, fr. 5 (edit. Gerlach.); quod fragmentum, servatum a Gellio [5]), ita se habet:

»Scipiadae magno obiiciebat Asellus
Lustrum, illo Censore, malum infelixque fuisse."

Sed quum et Lupus et Mucius numero singulari

---

[1]) Ubi vid. Heinr., pag. 101.

[2]) In edit. cum Comment. Cruq. L. B. 1597, pag. 665.

[3]) Vid. vir doctus in Observv. Miscc. V, 3, pag. 27. Cf. Heinr. pag. 110.

[4]) In. Horat. Prosopogr. 79, sq. Quod opus paucis tantum mensibus ante mortem eruditissimi viri (praematuro, eheu! fato caris cognatis litterisque erepti!) absolutum prodiit.

[5]) N. A. IV, 17.

ponantur, nulla erat caussa cur Persius pro *Asello Asellos* poneret. Huius enim mores et nomen non tam famosa fuere ex Lucilio, prae Lupo et Mucio, ut eo, tanquam thetico nomine, plur. uteretur Persius. Praeterea vulgata lectio bene se habet: est enallage personae scriptoribns Latinis non prorsus insueta; cff. Passov. ad h. l. p. 348 et Herm. Lectt. Perss. II, 19, sq. n. 30. — Neque alteram probare possum eiusdem Estreii [1]) Persianam interpretationem in versum nostrae Sat. 124, ubi verba *praegrandi cum sene* non cum omnibus fere interpretibus intelligit de Aristophane, sed de ipso Cratino in versu praecedenti iam nominato. Iam antea Passovius [2]) dubium moverat de vulgata interpretatione et cogitaverat de Lucilio, quam opinionem amplexus est Heinrichius [3]). Sed merito eum refutavit Iahnius [4]). Quum vero vulgatae interpretationi nihil obstet, non opus est ut Estreii explicationem sequamur, atque ita Persio tautologiam obtrudamus. *Senex* enim, ut a pluribus animadversum est viris doctis [5]), honorifice dicitur de hominibus praeclaris iam dudum vita defunctis, quod, ut contra Estreium [6]) contendam, etiam de Lucilio usurpari potuisse ab Horatio, cuius quidem praeceptores Lucilium vivum vi-

---

1) L. l. pag. 72, sq.

2) Pag. 354, sqq.

3) Pag. 114, sq.

4) Pag. 114. Cff. eius Addenda, pag. 404.

5) Inter alios C. F. Hermannus in Disput. de Satirae Romanae auctore Marb., 1841, pag. 29, nota 79 et F. D: Gerlach.: C. Lucilius und die römische Satura, Basil. 1844, pag. 13, nota 2.

6) L. l. pag. 75, sqq.

dere potuerant, facit ipsius Horatii locus (Epistt. II, 1, 55, sqq.), ubi inter eos qui veteres eo tempore habebantur poetae referuntur Pacuvius, Attius, Afranius, qui circa Lucilii tempora vixerunt et ultra. Recte tamen idem Estreius animadvertit, hoc loco, ubi Aristophanes coniunctim nominatur cum Cratino atque Eupolide, nomen *senex* non *κατ' ἐξοχήν* idem posse significare quod *priscus*. Quam ob rem hoc potius honoris caussa ei tribuisse Persium puto, quae significatio fere semper alteri adiuncta esse mihi videtur, ubi de scriptoribus et sapientibus sermo est; cff. exempla quae attulit Heinr. ad n. l. [1]). Sed etiam *senex* per se non semper dici de aetate valde provecta auctor est Gerlachius [2]), citans Livii locum (XXX, 30), ubi Hannibal se ipsum *senem* vocat, quadragesimum quartum modo aetatis annum agens. Versu denique seq. solus Teuffelius [3]), refragrantibus omnibus libris, pro *Adspice et haec* legit *ad haec*, ad similitudinem vs. 9 nostrae Satirae. Sensus autem hic est: Quicunque delectentur poetarum veteris comoediae lectione, hi etiam mea carmina legant. Itaque nihil mutandum.

---

[1]) Pag. 115. Ibi tamen *Pacuvius* et *Cato*, in locis citatis Horatii et Ciceronis, etiam senes de aetate dicti esse possunt. Ita est in c. IX, Cic. Brut. ut recte contra Plumium animadvertit Estreius, pag. 74, n. 4. Cf. etiam Ritterus, l. l. ubi pag. 21, sqq. etiam de hoc loco agit, qui tamen cum censore Ienensi versionis Donnerianae locum laudatum Cic. in Brut. intelligit de aetate remotiore.

[2]) L. l.

[3]) Pag. 60, nota.

THESES.

I.

Persii Satiram VI non ab ipso poeta absolutam esse contendo.

II.

Quamquam Persius in scholae umbra vixit, tamen vitae et morum sui populi haud ignarum fuisse ipsius Satirae arguunt.

III.

Versus, qui leguntur in Persii Sat. I, 99—102, non sunt Neronis habendi.

IV.

Argumenta quibus Iahnius probare studet, auctorem Commenti, quod Cornuto adscribitur, circiter IX^um demum seculum vixisse, omni fere fundamento carent.

V.

Vita Persii merito Suetonio abiudicatur.

VI.

Verba Horatii Sat. I, 4, 10, de Lucilio: »erat quod *tollere* velles" in malam partem interpretor.

VII.

Non assentior doct. Mommsen, locum Aristot. Poet. IV, 14, sic constituenti: *τρεῖς δὲ καὶ σκηνογραφίαν Σοφοκλῆς, ἔτι δὲ μέγεθος ἐκ μικρῶν μύθων.* Καὶ *λέξεως γελοίας, — ὀψὲ ἀπεσεμνύνθη κ. τ. λ.*

VIII.

Eiusdem libri caput XVI interpolatoris manum refert.

IX.

Non facio cum iis qui Cyropaediam a Xenophonte ad fidem historicam compositam esse contendunt.

X.

Acute et vere Plato (de Rep. IV, p. 435 e) tres praecipuas antiquitatis nationes ita distinguit, ut Scythis

tribuat τὸ θυμοειδές, Phoenicibus τὸ φιλοχρήματον, Graecis τὸ φιλομαθές.

XI.

Egregie Montesquieu (Grand. et Décad. des Rom. ch. 15): » comme la grandeur de la république fut fatale au gouvernement républicain, la grandeur de l'empire le fut à la vie des empereurs."

XII.

Regulum a Carthaginiensibus diris suppliciis affectum esse, non est quod negetur.

XIII.

Non immerito Polybius apud Ciceron. de Rep. IV, c. 3, in puerili disciplina institutorum Romanorum negligentiam accusavit.

XIV.

Ordalium, quae medio aevo in Europa valuerunt, vestigia iam in legibus Mosaicis (IV Mos. V, 11—31) exstare arbitror.

ERRATA.

Pag.	5	lin.	5	duobus	*lege*	duabus
»	»	»	20	-rosimile	»	-risimile
»	6	»	13	aninam	»	animam
»	23	»	15	versus	»	versibus
»	32	»	6	pexust.	»	pexus t.
»	41	»	22	quod V 2.	»	quod V 3.
»	57	»	17	typographica	»	typographico
»	58	»	13	severiattem	»	severitatem
»	60	»	3	esse.	»	esset.
»	»	»	17	qui liber,	»	quem librum,
»	69	»	13	—dationem	»	—datione
»	75	»	26	culpatum	»	culpatus
»	82	»	1	enim quod,	»	enim, quod
»	84	»	16	e Trev.	»	e; Trev.
»	»	»	20	continens	»	continente
»	85	»	25	dixit,	»	dixit:
»	86	»	10	versis	»	verbis

C. C. L. B.

AAN

MIJN ZOON,

BIJ ZIJNE

BEVORDERING

TOT DOCTOR IN DE LETTEREN.

Heil u, wiens vlijt u hief ten trap
Van 't welverdiende burgerschap,
In 't rijk van vrijheid, licht en gaven, —
Dat uitgebreid gemeenebest;
Der lettren, eeuwen her gevest
Door kennis, kunst en geestbeschaven!
't Is daar, in dat Elysisch land,
Dat steeds de Waarheid, vrij van band,
Voor allen (van wat spraak of stand)
Den standaard van vooruitgang plant, —
En zij, wier Faam hunn' roem mogt staven,
Hun eens-verworven burgerregt,
Zelfs in den dood niet afgelegd,
Nog stout doen gelden uit de graven.

Wat volksstaat is op aard gelijk
Aan zoo onwankelbaar een rijk, —
't Gebied, omgrensd van tijd noch polen, —
Voor dwang noch volksverzet beducht,
Wat tuimelgeest of stelselzucht
Er ooit de driften bragt aan 't dolen? —
Wie staats- of eerbejag ontvlugt
Haalt, bij 't genot van milder lucht,
Daar adem, — vrij van 't stof der scholen!

Kwijt u dan rustig! 't is uw taak
Den nacht der eeuwen in te boren!
Ja! rakel, bij het licht der spraak,
Het goud er op van die tresoren
Van wijsheid, dichtvernuft en smaak,
Die 't grijs Verleedne toebehooren:
Doch spoor beschavings laatren stap
Ook na, waar kunst en wetenschap,
Bij 't reiner licht van Christenzeden,
Uwe eeuw meê doen te voorschijn treden.

Zoo wordt hij die de keur zich leest
Uit al die vruchten van den geest,

Wier kern den smaak verhoogt en prikkelt , —
Zoo wordt hij door een kracht gevoed ,
Die , waar zij 't hart ontsteekt in gloed ,
't Vernuft begeestert en ontwikkelt.

Te regt , als dan zijn letterzucht
In drift ontgloeit tot eigen vlugt ,
En zelf de slagwiek uit leert breiden
In d'etherkreits van 't Ware en Schoon' ;
Daar, waar het Goede, — op d'eigen troon, —
Nooit van dat paar zich af laat scheiden !
Stoort hij slechts niet de harmonie
Dier van natuur onscheidbre drie ,
Zoo zullen 't Ware- en Schoone- beiden —
('t Doel , waar zijn vlijt den boog voor spant)
Terwijl de Zeedlijkheid 't verband
Met kunst en kennis houdt in stand , —
Beschaving , licht en deugd verspreiden.

En Gij — gij , die uw roeping voelt ,
En 't wit beoogt waar zij op doelt !
Gij toch zult nimmer de eendragt storen
Dier aangebeden zustertrits :

Natuur en eenvoud slechts tot gids ,
En God als 't hoogste Goed' verkoren , —
Waar uit alleen , voor 't rein gemoed ,
Dat eigenwaan noch zelfzucht voedt ,
Hier 't Ware en Schoone wordt geboren ,
Dat licht en deugd en zaligheid ,
Door kunst en wetenschap , verbreidt !

Dat doel brengt uw bestemming mede !
Ja ! wat u ooit worde opgetast ,
Dit is uw taak , — dit de eerelast ,
Die u , als letteroefnaar , past !
Vervul dien pligt , in liefde en vrede !
En faalt iets aan uw heilgenot , —
Grijp moed ; doch vier geen wenschen bot ,
Of sla 't vertrouwend oog op God !
Pleeg raad met Deugd , Geloof en Rede ;
En kroon , bij elken zwaai van 't lot ,
Uw Moeders hoop — uws Vaders bede !

J. KISSELIUS.

DORDRECHT ,
22
18—48.
6

